FLORES LEGUM. CUM SUIS EXCEPTIONIBUS, ET...

Thomas : de Thomasettis

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
2 H
50

Digitized by Google

Digitized by Google

Dom. Prof. Rom. S.J.

FLORES LEGVM.

CVM SVIS EXCEPTIONIBVS, Et Declarationibus.

Ex variis Legibus, Gloſſis, & Doctoribus Collectis.

Ab Admodum Reuerend.

D. THOMA DE THOMASETTIS J.V.D. & Archipresbytero Meſtrenſe;

In hac nouiſſima impreſſione ab eodem Auctore recogniti, & pulcherrimis, ac nouiſſimis additionibus locupletati.

Opus omnibus vtrique Iuri ſtudentibus ac præſertim Legum ſcolaribus vtiliſſimum, & neceſſarium.

Cum indice copioſiſſimo.

Illuſtriſs. Domino D. Colendiſs.

D. ANTONIO HIERONYMO LANDO COMITIS NOBILI CRETENSI.

BIBLIOTECA NA... ROMA VITTORIO EM...

DOM. PROF. ROM. IHS

VENETIIS, MDCCXIII
Apud Dominicum Louiſam.
Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

AMPLISSIMO
Atque
ERVDITISSIMO IVVENI
Vtriuſque Iuris Candidato
D. ANTONIO HIERONYMO
LANDO
NOBILI CRETENSI
Dominicus Louiſa Bibliopola S.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

DE viridario Ciuilis, Canonicique Iuris excerptos ſcelectiſſimos Flores Legum, facili, ac perutili ordine infaſciculum iam collectos, diù, multumque, (& oh quanta mentium, animorumque iucunditate, ac

Digitized by Google

fructu!) à doctis viris guſtatos, tractatos, tritos, Iuriſprudentiæ Studioſorum commodo Typorum meorum beneficio in hominum aſpectum, lucemque publicam iterum profero. Patronum aliquem à me expoſcentibus cuius manu aſſiduè euoluerentur, cuius menti continuò inſiderent, cuius auctoritate à maleuolorum dicterijs tegerentur, defenderentur, illos tibi vni, Iuuenis Ampliſſime, ac Nobiliſſime, ratus ſum commendandos. Et profectò melius, validiuſue patrocinium Floribus iſtis parare non poteram, quàm eos illius benignitati, ac magnanimitati committendo, qui & Patriæ, & Maiorum nobilitate clarus, & præcipuarum facultatum cognitione eximius, & Moralium, atque Theologalium, quas vocant, virtutum laude ſpectatus & volet, & poterit eorum defenſionem tota animi contentione ſuſcipere. Et ò vtinam mihi Panegyrim potius, quàm Epiſtolam Tibi conſcribendi locus adeſſet! Nec laudum ſeges, nec dicendi vis mihi procul dubio deficeret; Patria enim Tibi, notiſſima illa Creta tot, tantiſque titulis clara Il. 2. ἑκατόμπολις, καλὴ, καὶ πίειρα: Maiores, Comites de illuſtri, totaque non ſolum Græcia, verum & toto Latio celeberrima

xima familia Lando : Tu & humaniorum litterarum peritiſſimus, & Philoſophiæ ſtudiis cumulatè imbutus, & Iuriſprudentiæ abſolutiſſimus Candidatus proximè laureandus, adeò vt Te iuſtiore titulo, quàm illum, de quo Homerus, dicere poſſim Od. 1. ἄνδρα πολύτροπον. Quod ſi ad virtutes tuas orationem liceret conuertere, quid mihi, quæſo, dicendum eſſet de tua in Ortodoxa Fide & ſtabilitate, & integritate, de firma in Diuina Miſericordia Spe, de ardenti in Deum Charitate, quas in Te ſummè excellere in præclara funebri oratione, quam demortuo Philadelphiæ Archiepiſccpo Miletio Tipaldo dixiſti, optimè, & clariſſimè demonſtraſti? Illa, illa inquam, oratio ſpeculum eſt lucidiſſimum, in quo præter iam enumeratas virtutes Prudentia, Fortitudo, & Modeſtia tua, erga ſeniores Reuerentia, in cæptis bonis conſtans Perſeuerantia maniſeſtiſſimè apparent; vnde in Te fallit Menelai ſententia apud Græcum Poetam.

Il. 3. αἰεὶ δ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρέ-
νες ἠερέθονται.

Quare cum tot, tantaque in Te ſint, Iuuenis Ampliſſime, virtutum ſemina, quam tibi & præconiorum, & di-

 gni-

gnitatum, & felicitatum meſſem portendam? Vnum dixit augurium optimum Homerus tuus pugnare pro Patria.

Il. 12. εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Meliora profectò tibi euentura prædico, qui ſtrenuè adeò & ſtudiis, & lingua, & ſcriptis pugnaſti, & pugnas adhuc pro litteraria Republica, pro Cęlo, pro Fide. Perge igitur, vt facis, Adoleſcens Nobiliſſime, & hoc interim ſpacio benignis oculis, & glorioſa animi tui magnitudine me, librumque meum proſequere, quos Tibi ſempiterno obſequio deuinctos & volo, & voueo, Diù viue, & vale.

Kal. Iun. CIↃ CICCXIII.

Ad

Ad eundem Illuſtriſſimum Abbatem P.M.

Ioſeph Policreti Taru.

Exaſticon.

P*Atria nobilitat, virtus, Proſapia multos.*
Sanctaq; Religio, nobilitantq; Gradus
Omnia te exornant, exornus unicus iſthec
Tu potius Fama Geſta canente tua;
Præmia digna manent, meritò tibi maxima MARCE
Auguror; ornabit ſacra Tyara caput.

Marci Antonij Romiti Iuris V. Doct. Vicentini.

Tetraſticon.

N*E florum titulo fallaris, candide Lector,*
Collige, ſunt fructus, collige, & imple ſinus.
Egregii Auctoris pudibunda modeſtia fecit,
Vt florum nomen fructibus indiderit.

Aurelij Vocini I. V. D. Taruiſini.

Cedite vos culti heſperidum cum fructibus horti.
Floribus his noſtris, cedite & Adonides.

Carpere quiſque poteſt, campo panduntur aperto,
Non hic illecebrę, aut ira Draconis adeſt.

Cultor adeſt Thomas, cui rara induſtria: primis,
Sic noua naſcuntur germina germinibus.

Cingit vos, [illegible]ſtum colitis qui, tempora flore,
Non alit hic hominum corpus, at ingenium.

INDEX RERVM NOTABILIVM,

QVÆ IN HIS REGVLIS interſertæ ſunt.

A

ABſurdum euitari debet. Regula 43
Abſurdum tolleratur, vt abſurdius euitetur. ib.
Aduocati, qui cauſas iniuſtas defendunt. damnorum, & expenſarum ad reſtit. tenent. reg 17
Aduocati, quare æquiparantur militibus. reg. 17
Actus, qui opponitur actui ſummè bono, ſumme malus eſt. reg 160
Adeptio non iure facta à Principe con-

firmari poteſt. r.297
Affectus, quando punitur ſicut effectus. r.g 19.
Alearum ludus, an prohibitus, & quomodo clericis. reg. 3 0
Appellationis remedio, quando extinguitur, vel non, pronunciatum. reg. 37
Arbitri ſententiæ, quando non eſt neceſſe ſtari. reg. 3
Appellatione filiorum, quando non comprebenduntur filiæ. reg. 189
Aliud pro alio, quando ſolui poteſt. regula 32.
Amicus pro alio amico teſtis eſſe poteſt. reg 50
Ars Chirurgica Clerico probibita eſt. reg 217.
Actus legitimi, quando recipiunt diem. reg 140

B

Beneficia curata ſunt incompatibilia, ſimplicia non. reg 29
Baptizans filium proprium, an poſſit petere debitum ab vxore. reg 151
Baptizans filium quem abortiuit amica eius, an poſſit ducere eam in vxorem. reg 151

Be-

Beneficii receptor naturaliter obligatur ad antidota. reg. 56

Beneficium Principis *ſine alterius præiuditio.* reg. 58

C

Caſus contingens liberat debitorem à culpa præcedenti. reg. 7

Caſus omiſſus relinquitur diſpoſitioni iuris communis. reg. 15

Clauſulas, ſi non valet, &c. quando aliquid operatur. reg. 12

Clerici veteris Teſtamenti, quare vxores ducebant. reg. 55

Clerici non poſſunt renunciare beneficio fori, & quare. reg. 60

Clerici, an poſſint teſtari de rebus acquiſitis intuitu Eccleſiæ. reg. 77

Clerici non poſſunt exercere artem Chirurgicam. reg. 217

Clerici ludendo, an, & quando peccent mortaliter. reg. 320

Contrahentium voluntatem magis, quam verba debemus inſpicere. reg. 13

Conſentiens, quando punitur ſicut agens. reg. 22

Contractus bonę fidei, qui dicuntur. reg. 66.

Digitized by Google

Conſuetudo, an valeat, vt clerici teſtantur de rebus Eccleſiæ ad vſus non pios. reg 77.

Conſuetudo, an valeat, vt clerici teneantur dare candelas benedictas in feſto Purificationis. reg. 85

Contractus initus cum minori, quando eſt validus, vel non. reg. 88

Confirmatio fieri debet præmiſſa inquiſitione de vita, & moribus electi. reg. 114

Concurrentibus priuilegiis vtimur iure communi. reg 267

Conditio, quando dicitur adimpleta. regula 80.

D

DEbitor ex contractu poſt mortem, an teneatur præſtare æſtimationem æqui, ſerui, vel huiuſmodi, ſi æquus mortuus, ſit morte naturali, & erat periturus etiam penes creditorum. re 7

Decimæ perſoluendæ ſunt ſemine non ſeparato. reg. 53

Deus non facit differentiam inter ſimplicem loquelam, & ſolemnem. reg. 118

Debitor ante mortem, quando tenetur ad æſtimationem rei extinctæ. reg. 121

Deambulatoria eſt hominis voluntas vſq; ad ſupremæ vitę exitum. reg.283
Doctor conductus ad legendum, an poſſit legere per ſubſtitutum. reg.318.
Dolus nemini debet eſſe proficuus. reg.3.
Donatio vxoris, quando valeat. reg.105
Dos eſt priuilegiata. reg.267
Deflorans virginem, quando in conſcientia non tenetur eam ducere, vel dotare. reg.293
Depoſitarius, quando tenetur de culpa leui, vel leuiſſima. reg.226.

E

EPiſcopi non poſſunt extra ieiunia quatuor temporum Ordines majores conferre. reg.1
Excommunicatus, an poſſit inuitus abſolui. reg.62
Ebrietas, quando eſt peccatum mortale. reg.98.
Expedit reipublicæ ſubditos habere locupletes. reg.170
Eccleſię præſcribis, & præſcribitur. reg. 194. & 220.
Excommunicatio ſolemnis quomodo fertur. reg.322
Ebrius non punitur de delicto commiſſo in ebrietate, ſed de ebrietate. reg.110

Fe-

Digitized by Google

F

Foeminæ ſunt remotæ ab omnibus officiis publicis. reg.128
Fœminæ non poſſunt eſſe teſtes in teſtamento. reg.128
Fœminæ, quando poſſunt pro alio interuenire. reg.128
Fœminæ in criminalibus non teſtificantur, niſi ſubſidium. reg.128
Filius rogatus reſtituere hæreditatem, ſi ſine liberis deceſſerit, detrahit tertiam de iure naturæ, & quartam Trebellian. reg.4
Filius quando præiudicat patri. reg.34
Fides quando non eſt ſeruanda. reg.142
Fides ſola non ſufficit, ſed opera eſſe neceſſaria, contra hæreticos probatur. reg.159
Frater non tenetur fratrem hæredem inſtituere. reg.259
Fruſtra inuocat auxilium legis, qui in legem committit. reg.59
Fraus citra dimidium de iure ciuili toleratur. reg.66
Frater quando poteſt accuſare fratrem reg.136

Digitized by Google

G

GEneralis locutio reſtringitur ad habilitatem. reg. 269
Geminatio percuſſionum, quando arguit voluntatem occidendi. reg. 143

H

HÆretici ſunt infames, & excommunicati. reg 147
Hæretici æquiparantur Chamaleonti, &c. reg. 147
Hæreditas tranſit cum onere, & honore. reg. 68
Homicidium caſuale, quando punitur. reg. 149.

I

IN neceſſitate nemo dicitur liberalis. reg. 206.
Iudex quando debet accelerare expeditionem, reg. 67

Iu-

Digitized by Google

Iudex quando impartitur officium ſuum non requiſitus. reg. 170
Iudex quando poteſt recuſari, vt ſuſpectus. reg. 175
Ius naturale immutabile permanet. re. 76
Ius poſitiuum per aliud ius, vel per contrariam conſuetudinem tollitur. re. 76
Ius canonicum conſiderat ſaltem animę. reg. 11.
Ius canonicum non conſiderat apices iuris, ſed ſubſtantia fidei datę. reg. 118
Iuſta dilatio habet aliquam excuſationem. reg 196
Iuſtum eſt Principem legibus ſuis obtemperare. reg. 122
Iuſta dilatio liberat debitorem a mora. reg 122
Incertitudo, quando vitiat, vel impedit. reg. 157

L

Laicus, an poſſit eſſe vicarius generalis Epiſcopi. reg. 177
Laicus quando teſtificatur contra clericum. reg. 179
Legata domo, an debetur ortus. reg. 249
Legitima quomodo intelligitur. reg. 311
Lex ciu. quando non habet locum in foro

conſcientię reg.264
Lex poſitiua, quando eſt ſeruanda in foro conſcientiæ. reg.183
Legatis veſtibus vxori, an veniant aurea, vel argentea ornamenta dictarum veſtium. reg.8
Lex Imperatoris non præiudicat ſacris canonibus. reg 54
Leges de conſilio non obligant. reg.81
Lex generaliter loquens reſtringitur per aliam legem ſpecialiter loquentem. regula.138
Locupletari cum alterius iactura, quando poteſt. reg.25
Legata relicta in teſtamento minus ſolemni, quando debentur, vel non. re.181

M

Matrimonium quare denominatur a matre. reg.2
Mater quare ſuccedit filijs. reg.2
Maledicta illa pietas, quæ deſtruit iuſtitiam. reg.18
Macedoniani beneficio, an filij renunciare poſſint. reg.60
Magis puniuntur patres in filios, quam in ſeipſos. reg.95
Maritus, qui cum conſanguinea legitime con-

coniugis fornicatus eſt, an poſſit petere, & reddere debitum vxori, reg. 214.
Metus reſcindit contractum. reg. 283
Metus qualis excuſat. reg. 109
Milites non gaudent hodie priuilegiis militaribus. reg. 258
Minus malum, an conſuli poſſit. reg. 79
Moyſes quare permiſit repudium. regula. 76.
Modica iniuſtitia tolleratur. reg. 92
Minor in quibus caſibus eſt priuilegiatus. reg. 192
Moderamen inculpatæ tutelæ quomodo intelligitur. reg. 326
Mora modici temporis non conſideratur. reg. 196
Mutato tempore mutatur ſæpè voluntas. reg. 199.
Mulier adultera, quando non amittit dotem. reg. 197

N

NEceſſitate vrgente multa licent, quæ alias non licerent. reg. 202
Negatiua quando debet probari, regula. 20.
Nihil tam naturale, quam vnumquodque

que diſſolui eo genere, quo ligatum eſt. reg. 6.
Nihil eſt, quod magis Dei eccleſiæ noceat, quam quod indigni aſſumantur ad eccleſiarum regimen. reg. 11
Nihil eſt, quod magis fulgeat homine, quam recta fides. reg. 12
Nihil refert, quid ex æquipollentibus fiat. reg. 187
Non omne, quod licet honeſtum eſt. regula. 41
Notorium quid ſit. reg. 188
Nulla lege poſitiua ſummus Pon. ligatur. reg. 1.
Neceſſitas ineuitabilis excuſat. regula. 203

O

OBligatio naturalis tantum de iure ciuili non producit actionem. reg. 56.
Oderunt peccare mali formidine pœnæ. reg. 119
Officium ſuum nemini debet eſſe damnoſum. reg. 7
Omne ſimile non eſt idem. reg. 44
Officium ſuum, quando alicui nocet. reg. 226

Pa-

P

PApa contra ius poſitiuum quando diſpenſare non poteſt. reg 233
Papa poteſt omnia, quomodo intelligitur. reg.232
Papa, an ab aliquo iudicari poſſit. regula. 233.
Papa, an poſſit tollere ius de ſoluendis decimis. reg.76
Papa, & Imperator legibus non ſubiiciuntur. reg 70
Pater inuitus tenetur dare dotem filię dum viuit, ſed legitimam non. reg.46
Paria ſunt alia non fieri, vel illegitimè fieri. reg.123
Paria ſunt eſſe, vel de proximo ſperari. reg.246
Pater quando poteſt exhæredare filium. reg.311
Pater poteſt eſſe teſtis ſuper ætate filii. reg.313.
Peccata cordis, oris, & operis, eiuſdem ſpeciei ſunt, & qualitatis. reg.19
Percutiens clericum, quando tenetur adire Papam pro abſolutione, & quando non. reg.60
Potior eſt mens dicentis, quam vox. reg.5.

Poſt

Poſthumus quando rumpit teſtamentum. reg.23.

Prelatus quando preiudicat eccleſiæ. reg. 236.

Præſumptio tollitur præſumptione. reg. 239.

Propter peccatum homo recedit a Deo. reg. 40

Princeps, an poſſit eſſe iudex in cauſa propria reg.26

Priuilegium quomodo amittatur. reg.251

Publicum quid ſit. reg 188

Pupillus quando teſtari poteſt. reg.254

Q

QValem ſententiam dixerit arbiter, eidem ſtandum erit. reg.3

Quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio. reg.38

Quando iuratur quaſi Deo teſte promittitur. reg.167

Qui facit quod non debet, eidem obuenit, quod non credit. reg.201

Quod tibi non nocet, & alteri prodeſt facile eſt concedendum. reg.32

Quod patet expreſſe probare non eſt concedendum. reg.114

Qui potuit prohibere, & non probibuit, quando punitur, vt agens. reg.266

Reus

INDEX.

R

Reus quando tenetur edere propria inſtrumenta actori. reg 11
Reus in exceptionibus eſt actor. reg. 11
Res furtiua inuenta, quando facit indicium furti. reg. 280
Raptus quando propriè dicitur. reg. 327

S

Sacerdotali dignitate nulla eſt maior. reg. 178
Semper in actu intelligitur dolus, & fraus excepti. reg. 6
Seruis inuitis libertas acquiri poteſt. reg. 62
Sponſalia de conſenſu contrahentium diſſolui poſſunt. reg. 6
Sponſa ſi fornicata fuerit, non tenetur ſponſor eam ducere reg. 176
Stultus in culpa, ſapiens in pœna fiet. reg. 201
Sufficit allegare naturalem rationem etiam ſine lege. reg. 115
Spoliatus de facto, quando non reſtituitur. reg 306

Te-

T

Eſtimonium de auditu non eſt propriè teſtimonium. reg.222
Tranſactio quid ſit. reg.164
Tutor, an poſſit deſponſare pupillam ſuam reg.198.
Tranſigere de re ſpirituali ſimonia eſt, interuentu pecuniæ. reg. 327
Teſtis in codicillis mulier eſſe poteſt. reg. 417.

V

Oluntas teſtatoris inprimis attenditur, & conſideratur. reg.13
Vltimæ voluntates fauorabiles ſunt. reg. 42.
Vota filiorum familias, & aliorum, qui alterius poteſtati ſubduntur a ſuperioribus irritata non obligant. reg.45
Velleiana beneficia, an mulier renunciare poſſit. reg.60
Vbi conſilia multa, ibi ſalus multa. reg. 83
Violentia, quando non æquiparatur importunis precibus. reg. 327
Verba ſunt intelligenda cum effectu. reg. 117

Va-

Digitized by Google

Varietas perſonarum. varium ius quoque facit. reg. 166
Verbum, præſumat, arguit dolum, & temeritatem. reg. 177
Vſurarius quare non excuſatur, quamuis qui accepit ad vſuram in illam conſenſit. reg 206.
Virginem, qui ſeduxit ad quid tenetur. reg. 327.

FINIS.

Digitized by Google

FLORES LEGVM.

CVM SVIS EXCEPTIONIBVS, Et Declarationibus.

Collectis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

A D. THOMA DE THOMASETTIS Iuris vtriuſque Doctore.

REGVLA I.

A Capite non licet membra recedere. c. cum non liceat de preſc. c. 1. & 2. 12. diſt. in cauſ. de ſent. & re iud.

Declaratio.

Procedit regulariter; fallit autem, ſi aliquid ſpeciale in capite ſit; quia tali caſu non debent membra ſicut caput facere vt notat gloſſ. in cap. 1. de tempor. ordin. Et propterea in cap. de eo autem. eodem tit. dicitur, quòd licet Papa conferat, & conferre poſſit extra ieiunia quatuor temporum Ordines, tam minores, quam maio-

Digitized by Google

res; Epiſcopi tamen maiores ordines conferre non poſſunt, niſi in Sabbatis quatuor temporum, aut in Sabbato Sancto, vel in Sabbato ante Dominicam de paſſione; quia illud ſpeciale in Pontifice eſt propter plenitudinem poteſtatis eius, c. propoſuit. de conceſs. preb. Nulla enim lege ſummus Pontifex poſitiua ligatur, eiuſque perſona ſemper excepta intelligitur. cap. venientes de iureiur. & not. in l. 1. ff. quod quiſque iur. Ad minores autem ordines, vt dicitur in d. cap. de eo dominicis, aliiſque feſtiuis diebus licet Epiſcopis, aliquos ordinare.

REGVLA II.

A digniori debet res denominari. l. quæritur. ff. de ſtatu humi cap. quod in dubiis. de ſent. & re iud.

Declaratio.

Procedit regulariter; Fallit autem in matrimonio, quod quidem denominatur a matre, quæ tamen nobilior non eſt. §. 1. & ibi Doct. Inſt. de pa. poteſt. Ideo autem ab ea potiùs, quam à patre matrimonium denominatur; quia maiora ſuſtinet onera. Eſt enim mater ante partum oneroſa, in partu doloroſa, & poſt partum laborioſa, cap. ex litteris

ris de conuer.infide. & notat gl. in d. §. 1. Ob idque etiam mater de iure communi ſuccedit filiis ab inteſtato, & ſine liberis decedentibus, ceteris agnatis excluſis, exceptis fratribus, & ſororibus, cum quibus, ſimul ad hæreditatem vocatur. §. ſed nos.inſti.de Senatuſconſter.auten,defuncto.C.eo.

REGVLA III.

A perſona, in qua eſt compromiſſum, non eſt recedendum. lib.1.C. de arb. leg. diem proferre, §. ſtari. ff.eo l. fin. C. de contrahen. empt. Qualem enim ſententiam dixerit arbiter, eidem ſtandum erit.l.qualem.ff.de arb.

Declaratio.

Procedit, dummodo ſententia ſit ſolemniter lata, & ſecundum ordinem iuris; l.prolatam C. de ſenten. interloc. om. iud. Vel procedit, ſi dolo arbiter careat; alias non eſt ei neceſſe ſtari. l. arbitrorum. C. de arbit. & notat gl. in d.§.ſtari. Vel procedit, quando ſententia lata eſt intra terminum compromiſſi, & de eo, tantum, quod continetur in compromiſſo; quia alias nulla eſſet. d.l.1.in fi.& cap.cum dilectus, de arbit.

REGVLA IV.

A ſententia interlocutoria non appellatur, l. 2. C. de epiſc. aud. l. fin. C. de interlocut. omn. iud cum ſim.

Declaratio.

Procedit regulariter: fallit autem, ſi iudex interloquendo, videlicet ante sẽtentiam diffinitiuam, contra ius pronũciauerit; vel ſi aliquem nimis grauauerit. l. 2. ff. de appell. reci. cap. non ſolent. 2. q. 6. Vel procedit de iure ciuili: ſecus autem eſt de iure canonico, quia rationabili cauſa expoſcente appellatur a quocunq; grauamine, etiam ab interlocutoria, d. c. non ſolent, &c: vt debitus, de appel.

Porrò ius iſtud canonicum ſeruatur in foro eccleſiaſt. ius verò ciuile in foro ſeculari, quãdo iſta duo iura contrariantur, vt hic. Si verò non contrarientur, vtrumq; poteſt in vtroque foro indiſtinctè allegari. Sed in materia ſacramentorũ. & peccati ius canonicũ præfertur, & habet locum etiam in foro ſeculari: & quando de iure ciuili eſt dubium, & de iurecanonico clarum: & e contra, vt per Doct. in c primo, de ope. no nunciat. Et propterea, quia de iure ciuili eſt dubium, an filius rogatus reſti-

ſtituere hæreditatem cum conditione, detrahere poſſit tertiam iure naturæ, & quartam Trebellianicam, & de eis diſponere poſſit ad libitum: de iure autem canonico clarum eſt, & deciſ. vt eſt tex. in cap. Raynutius. & cap. Raynal. de teſtam. ideo tali caſu ius canonicum habebit locum etiam in foro ſeculari.

REGVLA V.

A verbis legis non eſt recedendum. l. non aliter. ff. de leg 3. c. vltimo. & ibi gloſ. de verb. ſignific.

Declaratio.

Procedit, niſi conſtaret voluntatem loquentis aliter voluiſſe, vt in dict. l. non aliter. Potior eſt enim mens dicentis, quam vox. l Labeo. ff. de ſupel. leg. Nec ſermonis res, ſed rei eſt ſermo ſubiectus, inquit text. in cap. intelligentia de verb. ſignific. Vel procedit, niſi ratio nos induceret ad recedendum, aut neceſſitas nulli legi ſubiecta l. vnic. ff. de offic. Conſul cap. Marcion. 1 quæſt. 1. Vnde ſi ſtatutum dicat, quod mulier non poſſit obligari, vel teſtamentum facere, ſine conſenſu aut præſentia duorum parentum, ſi non haberet niſi vnum, ſufficeret illum adhibere,

Digitized by Google

l. Stichum qui meus. & ibi Bartol. ff. de leg. primo.

REGVLA VI.

Ab initio contractus ſunt voluntatis, ex poſt facto neceſſitatis, quia non licet reſilire, l. ſicut ab initio. C. de act. & oblig. l. in commodato. §. ſicut. ff. comod.

Declaratio.

Procedit, niſi de conſenſu vtriuſque partis ab eis recedatur; vt dicitur in l. ſicut ab initio. Nihil enim tam naturale eſt, quam vnumquodque diſſolvi eo genere, quo ligatum eſt. l. nihil, ff. de regul. iur. Vel procedit, quando contractus iure perfecti ſunt, vt dicitur in l. de contractu. C. de reſcindend. vend. Vel etiam procedit, niſi ſuperveniat fraus, & dolus; quia ſemper in actu intelligitur dolus, & fraus excepta, l. creditor. §. Lucius. ff. mand.

Sed matrimonium quamvis conſenſu vtriuſq; partis efficiatur; de conſenſu tamen vtriuſque partis ob eo recedi non poteſt; quia, quos Deus coniunxit, homo ſeparare non poteſt, & indiſſolubile manet, vt in Sacris Litteris. Sponſalia autem de conſenſu vtriuſque partis, & ob aliquam iuſtam cauſam bene

diſ-

Digitized by Google

diſſolui poſſunt, vt per Nauar. in Manual. c. 22. n. 25.

REGVLA VII.

Abſes Reipublicæ cauſa, ſi damnum patitur, debet reſtitui: l. item hi, ff. ex qui cau. maior. l. abſentia ff. de reg. iur. Officium enim ſuum nemini debet eſſe damnoſum. l. ſi communis ſeruus. §. quod vero. ff. de adulteriis cum ſim.

Declaratio.

Procedit, niſi dolo abſuiſſet, vt dicitur in d. l. item hi. Dolus enim nemini debet eſſe proficuus. l. quod ſi dolo. l. is qui dolo ff. de rei vendit. Vel procedit, niſi etiam præſens damnum fuiſſet paſſurus. l. item ſi verberatum. §. vlt. ff. eo. Caſus enim contingens liberat debitorem à culpa præcedenti. l. ſi qui aliam. §. eſt & alia. ff. quod vi, aut clam. l. ſi vehenda. §. ſi conditione. ff. ad l. Rhodiam. de iactu. ibi. Conduxi nauem tuã, vt in ea merces meæ portarentur: tu tranſtuliſti eas, me inſcio, in aliam nauim; nauis iſta nouiſſima perijt; tu teneris de interitu, niſi nauis tua poſtea ſimiliter periiſſet.

Et ex iis contra communem opinionem doct. in l. quod te. ff. ſi cert. pet. à qua recedit, & in Dec. in d. l. quod te nu. 48.

& 50.deſumi argumentum poteſt, quod ſi debeo alicui ſeruum, equum, & huiuſmodi,& ſum interpellatus, vt illum exhibeam; & iſte ſeruus, vel equus moriatur poſt moram meã morte naturali, & erat moriturus etiam penes creditorem, non teneor pręſtare æſtimationem eius (niſi creditor reuera erat eum diſtracturus ante mortem naturalem ipſius) ſicut. n. Reſpublica debet reſarcire damnum abſenti eius cauſa, niſi etiam præſens damnum fuiſſet paſſurus: ſic debitor debet reſarcire damnum rei extinctæ creditori, niſi creditor damnum iſtud omnino fuiſſet paſſurus Culpa enim quæ non nocet, non eſt conſiderabilis. l. 2. § vlt. ff. de eo quod certo loco.

REGVLA VIII.

Acceſſorium ſequitur naturam ſui principali ſic acceſſorium, de reg.iur. in 6. l.cum principale. ff.eo.cap.& hoc dicimus. 16.q.7.

Declaratio.

Procedit in coniunctis, & vbi militat eadem ratio: ſecus autem eſt in ſeparatis, & vbi ratio eſt diuerſa. l.interpoſitas. C.de tranſac. Vel procedit niſi acceſſorium eſſet maius, & pretioſius ſuo principali. l. iuſtiſſimè. §. 1. ff. de edil.

edil.edict.Sed in legatis acceſſoria, etiã ſi pretioſiora ſuo principali exiſtant, veniunt, & accedunt. Et ideo, legatis veſtibus vxori veniunt aurea, vel argentea ornamenta dictarum veſtium. l. & ſi non ſunt. §. perueniamus ff. de aur. & argent.leg. Bart.in l.cum aurum. ff. eodem.

REGVLA IX:

Actor ſequitur forum rei.cap. fin. de foro compe.l.in criminali.C.de iuriſd. omn.iud.

Declaratio.

Procedit in actione perſonali; ſecus tamen eſt in reali; quia attenditur locus vbi res ſita eſt c. ſanè de foro cõpet.

REGVLA X.

Accuſatus non poteſt alium accuſare, pendente illa accuſatione. l. neganda.C.qui accuſare non poſ.

Declaratio.

Procedit de pari, vel minori crimine; ſecus autẽ eſt, ſi de maiori accuſet, vt dicitur in d.l.neganda. Vel procedit, niſi ſuam, aut ſuorum iniuriam proſequatur, vt ibidem dicitur Vel etiã procedit, niſi per modũ exceptionis obiiciat

Digitized by Google

accuſanti crimen. l. 1. §. ſi publico, & ibi gl. ff. de adult. ibi: Si publico iudicio de adulterio maritus ſuam vxorem accuſet ad effectum, vt dotem lucretur; auditur vxor, ſi per modum exceptionis, & defenſionis accuſet maritum de lenocinii crimine.

REGVLA XI.

Actore non probante reus abſoluitur, l. qui accuſare. C. de eden. l. actor. C. de probat. Nec tenetur reus edere propria inſtrumenta, ad fundandam intentionem actoris, l. 1. & d. l. qui accuſare. C. de eden. Nimis enim graue eſt, quod arma ſumantur de domo aduerſarij l. nimis graue. C. de teſti. Cum nemo maxime ſeipſum prodere teneatur. §. item illud. de pœnit. diſt. 1.

Declaratio.

Procedit regulariter: ſecus autem eſt, quando iuſta cauſa intercedit, vt dicitur in d. l. 1. in fi. ibi: Nam quòd rationes ſuas aduerſaria tua exhibeat, id ex cauſa ad officium iudicis pertinere ſolet. Vel procedit, niſi actor priuilegiatus ſit, vt l. nequiſquam ff. de eden. vbi Fiſco agente tenetur reus edere propria inſtrumenta etiam ad fundandam intentionem Fiſci. Vel etiam procedit, niſi præſumptio, aut ſuſpicio

co-

contra reum ſit quia onus probandi tali caſu transfertur in reum ; cap. vt noſtrum , & ibi gl. extra, vt eccleſ. ben. ſine dimi.confe. Et quamuis regulariter non teneatur reus edere inſtrumenta ad fundandam intentionem actoris , tenetur tamen ad fundandam ſuam exceptionem. Reus enim in exceptionibus eſt actor.l.1.ff de excep.

REGVLA XII.

Actus , ſi non valet eo modo , quo fit, valet eo modo, quo valere poteſt. §. fi.inſti.de adop.

Declaratio.

Procedit, quando actus non peccat in forma : ſed vbi defectus in forma eſt, ſi actus non valet vt agitur, nec valet eo meliori modo , quo poteſt valere.tex. nota. in cap. vni. de poſt. præla. in 6. Doct.l. 1. §. ſi quis ita,ff. de verb. oblig. Et propterea , quamuis ponatur clauſula codicillaris in teſtamento : ſi non valet iure teſtamenti ; valeat iure codicillorum , aut quocunque iure melius valere poterit, qua clauſula ad cautelam ſemper teſtamenta muniri deberent l. ſimiles. ff. de teſta. mil. nihil tamen ipſa clauſula operabitur, ſi teſtamentum peccet in forma, vt ſi hæredis

non ſit facta mentio, ſi teſtator inhabilis ſit ad teſtandum eo quia ſit impubes, prodigus, filius familias; (niſi de bonis caſtrenſibus, vel quaſi, teſtetur) mente captus, & huiuſmodi, vt per Angel. in ſumma, verbo teſtamentum, numero primo, & per Doct. in l. hac conſultiſſima. C. de teſtamen.

REGVLA XIII.

Actus agentium non debent operari vltra eorum intentionem. l. non omnis ff. ſi certum pet. c. ad audientiam de deciſ cum concor.

Declaratio.

Procedit in delictis: quia voluntas, & propoſitum delictum diſtinguunt. l. qui impune, in princ. ff de fur. vel procedit in teſtamentis; quia voluntas teſtatoris in primis attenditur, & conſideratur. l. in conditionibus. 1. ff. de condit. & demon. vel procedit in reſcr. quia ſecundum intentionem Principis reſcriptum debet interpretari. Innoc. in cap cum eccleſiaſticæ, de reſcript. vel procedit in contractibus, quia contrahentium voluntatem magis, quam verba debemus inſpicere, d. l. non omnis;

nis; ſecus autem eſt in quaſi contractibus ſecundum Decium in d.l.non omnis.

REGVLA XIV.

Actus legitimi non recipiunt diem, neque conditionem l.actus legitimi ff. de reg.iur.c.actus. de reg.iur. in 6. cap. biduum. v.q. 6. cap. vltimo de condit. appoſ.

Declaratio.

Procedit in actibus legitimis, qui non ſunt contractus, ſed quaſi, vt in d. c.biduum vbi ſententia non debet ferri ſub conditione, & prout in d.c. vlt. vbi Matrimonium non contrahitur in diem, neque ſub conditione; Fallit autem in actibus legitimis, qui contractus exiſtunt; tales enim diem, & conditionem recipere poſſunt. Et ideo emptio, & venditio poſſunt contrahi ſub conditione: vnde valet talis emptio: emo tuum equum, ſi placuerit mihi intra menſem. §. emptio, & ibi doct. inſtit. de empt. & vendi. & notat gloſſ. in d. cap.actus,

RE-

REGVLA XV.

Ad ea, quæ frequenter accidunt iura ſe adaptant potius , quàm ad ea, quæ rarò. l. nam ad ea. ff.de legi. l.iura. cum lege ſeque. C.de poſtu.

Declaratio.

Procedit regulariter . veruntamen etiam ad ea, quæ rarò accidunt, quandoque iura adaptantur . §. inſula. inſti. de rerum diui. ibi: inſula, quæ in marinata eſt (quod rarò accidit) occupantis fit . At inſula in flumine nata (quod frequenter accidit) eorum eſt, qui habent prædia vicina.

REGVLA XVI.

Ad quem ſpectat onus, & emolumentum ſpectare debet . l. ſecundum naturam. ff. de reg. iur. l. 1. ff.de inſt.act. ſic e contra. §. 1.inſtit.de legi. patro.tut. facitq; tritum, & vulgatum illud ; Comoda qui ſentis , iungas onus emolumentis.

Declaratio.

Procedit regulariter ; quandoque tamen ex cauſa contrarium à iure diſponi-

hitur, vt d. 1. §. 1. vbi apud vnum eſt hæreditas, & apud alium tutela. Vel procedit, niſi qui emolumentum habet, per alium onus ſuſtineat: Nam qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur. cap. qui per alium de reg. iur. in 6. Et propterea gl. notabilis in l. continuus. §. ſi ab eo. ff. de verbo. obli. dicit, quod ſi Doctor habens in feudum Caſtrum, pro allegationibus, quas facere domino debebat, moriatur relicto filio non Doctore; filius tamen ſuccedet in feudum, ſi per alium deſeruiat.

REGVLA XVII.

Aduocatum officium neceſſarium eſt, & laudabile, laudabile. C. de aduo. diuerſo. iudicium. Et propterea aduocati æquiparantur militibus. l. aduocati. C. de aduo. diuerſo. iudiciorum; per eos enim, vt ibidem dicitur, tanquam per milites, & vita, & patrimonia hominum defenduntur.

Declaratio.

Procedit regula, habetque locum, ſi huiuſmodi officium ritè exerceatur (prout reuera à multis exercetur, & rectè aliàs execrandum, & pernicioſum exiſtit. Aduocati enim, qui nõ ſecus ac mi-

lites,

lites, ad bella tam iuſta, quàm iniuſta tuentes cauſas tam iuſtas, quam iniuſtas, & deſperatas aſſumunt, aut qui clientulos ſuos inducunt ſcienter ad mouendum, vel defendendum cauſam iniquam, aut qualitercumque in ſuo vitio cauſam amittunt, omnium damnorum, atque expenſarum ad reſtitutionem tenentur, vt per Goffredum in ſua ſumma titul. de poſtu. num. 5.6.

REGVLA XVIII.

Æquitas præfertur rigori. l. placuit C. de iud. l. diuus. C. de reſtit. in inte. c. ponderet. 50. diſt.

Declaratio.

Procedit regulariter, quandoque tamen rigor, & æquitas concurrunt, & coniunguntur, vt in cap. iurgantium de ſenten. & re iud. Vel procedit, niſi ex cauſa iudex magis ſequeretur rigorem vt notat gloſſ. in cap. diſciplina 45. diſt. Vel etiam procedit, dum tamen ob nimiam æquitatem de iuſtitiæ tramite non deuiamus. Vnde tritum, & vulgatum illud: Maledicta illa pietas quę deſtruit iuſtitiam. Et propterea in d. cap. diſciplina. dicitur: Diſciplina, vel miſericordia multum deſtruitur, ſi vna ſine altera teneatur. Et paulò inferius:

Miſ-

Miſcenda ergo eſt lenitas cum ſeueritate, faciendumque quoddam ex vtraque temperamentum, vt neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluantur. Hinc etiam Dauid ait. Virga tua, & baculus ſuus ipſa me conſolata ſunt. Virga etenim percutimur, & baculo ſuſtentamur. Si ergo eſt diſtrictio virgæ, quæ feriat, ſit & conſolatio baculi, quæ ſuſtentet Sit itaque amor, ſed non emolliens: ſit rigor, ſed non exaſperans: ſit zelus, ſed non immoderatè ſeuiens: ſit pietas, ſed non pluſquam expediat parcens. Hæc ibi. & in c. ſequenti dicitur: Omnis, qui iuſtè iudicat, ſtateram in manu geſtat, & in vtroque penſo iuſtitiam, & miſericordiam portat.

REGVLA XIX.

Affectus tantum punitur, ſicut effectus. l is qui cum telo. C. ad l. Cor. de ſicar. l. ſi quis non dicam rapere. C. de epiſcop. & cler. l. ſi quis. ſeruo. C. de fur.

Declaratio.

Procedit in delictis atrociorib. ac de facili trahibilibus in exemplũ. Vel procedit in foro conſciẽtiæ, in quo peccata cordis, oris, & operis eiuſdem ſpeciei ſunt, & qualitatis, ſecundum Nauarr.

in Man.cap.26. num. 9. regulariter autem affectus non punitur, niſi ſequatur effectus.l.cogitationis.ff. de pæn.l. 1. ff. quod quiſque iur. Vel etiam procedit, quando aliquis cogitauit delinquere, & proceſſit ad actum, ſed non perduxit ad effectum, quia non potuit: ſecus vero eſt, ſi non perduxit ad effectum, quia noluit, vt notat gloſſ.in d. l. ſi quis non dicam rapere, & gloſſ. in c. nuper de biga.

REGVLA XX.

Affirmanti incumbit probatio, non neganti. l. 2. C. de prob. l. qui accuſare. C.de eden.l.fin. ff. de rei ved Qui enim negat, non tenetur probare. l. actor. C. de prob.

Declaratio.

Procedit in negatiua ſimpliciter: ſecus autem eſt, ſi negatiua habeat affirmatiuam iuclusam, vt per Abb.in cap. quoniam.de prob. vel, triplex eſt negatiua; facti, iuris, & qualitatis.Negatiua facti non debet probari, vt quando nego me interfeciſſe hominem. Negatiua iuris debet probari ab eo, qui eam proponit, vt ſi dica, nego hunc teſtari poſſe. Negatiua qualitatis ſimiliter debet à proponente probari, vt quando dico: iſte non eſt dignus; non eſt legiti-

mus,

mus, non eſt idoneus, vt notat gloſſ. in d.l. 2. facitque tritum, & vulgatum illud: Qui clamat, ſui clamoris rationem reddere debet.

REGVLA XXI.

Afflictis non eſt addenda afflictio. l. Diuus Marcus in princ. ff. de offic.præ. cap. cum percuſſio 7. q. 1.

Declaratio.

Procedit regulariter; fallit autem, ſi tractetur de alterius præiudicio, vel de publica vtilitate, vel ſi vna veniat in conſequentiam alterius, vt cap. ab eo. de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct. ibi: Ab eo, qui appellauit à ſententia contra eum lata, fructus poſſeſſionis ſequeſtrari poſſunt, ſi ipſi fructus dilapidentur ab ipſo, Sequeſtratio enim venit in conſequentiam ſententiæ contra eum latæ, & tractatur de alterius præiudicio.

REGVLA XXII.

Agentes, & conſentientes pari pœna puniuntur. l. iubemus. §. œconomus. C. de ſacroſanct. eccl. cap. 1. de offic. deleg. cum ſuis concord.

De-

Declaratio.

Procedit, quando conſentiens poterat prohibere, & non prohibuit, vt dicitur in l. adigere. in princip. ff. de iure patron. & in l. 3. ff de noxa. act. Facientis enim culpam habet, qui cum poſſit corrigere, negligit emendare, cap. facientis. 86. diſt. Vel in foro conſcientiæ, nouem modis quis dicitur conſentire facienti, ſcilicet ſimpliciter conſentiendo, iubendo, conſulendo, laudando, recipiendo participando tacendo, non impediendo, & non manifeſtando. Vnde verſus: Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus, Participans, tacens, non obſtans, non manifeſtans. Et hi omnes, & ſinguli peccant quidem, vt delinquens: Sed quo ad reſtitutionē, primi ſex tenentur reſtituere id, quod ad eos peruenit, aut cuius fuerunt cauſa, ſine qua delictum nō fuiſſet factum: Alii autem tres, ſolum tenentur, quando ad id ex officio obligantur, vt per Nauarr. in Man. cap 17. n 17.

REGVLA XXIII.

Agnatione poſthumi rumpitur teſtamentum §. 1. inſtit. de exhæred. libero, in princip.

De-

Digitized by Google

Declaratio.

Procedit, quando pater cum ſilentio præteriit, vt dicitur in d. §. 1 vbi gloſſ. & doct. Vel procedit, niſi viuo patre poſthumus qui erat præteritus, moriatur, quia teſtamentum reconualeſcit. l. poſthumus ff. de liber. & poſthum. & notat gloſſ in d. §. 1.

REGVLA XXIV.

Aliquis non cogitur aliquid emere; vel vendere. l. nec emere C. de iur. de li. l. inuitum, & l. dudum C. de contrahen. empt. cum ſim.

Declaratio.

Procedit regulariter: fallit autem ex cauſa, & quando tractatur de publico bono, & vtilitate, §. 1 inſt. de iis, qui ſunt ſui, vel alie iur. ex quo infert Bart. in l. fin. ff de pign. act. quod ſi carnifex non reperiatur pro puniendo delinquente, poteſt cogi vilis aliqua perſona, quæ fungatur officio carnificis; & ſi decapitandus non poſſet ire ad locum iudicij, vel iuſtitiæ, poteſt capi equus priuati, & ſuper eo duci.

REGVLA XXV.

Aliquis non debet locupletari cum alte-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

alterius iactura. l. nam hoc natura, ff. de condit. indeb. regula locupletari, de reg. iur. in 6. cum ſimil.

Declaratio.

Precedit regulariter; fallit autem in vſucaptione, & præſcriptione, quæ propter omnium vtilitatem, & vt litium ſit finis, introducta eſt, vt de vſu cap. & preſcript. per totum. Et iſtud procedit non ſolum de iure ciuili; ſed etiam de iure canonico, & in foro conſcientiæ, dũ tamen præſcriptio, & vſucaptio bona fide inchoata ſit, & finita; cum poſſeſſor malæ fidei vllo tempore non præſcribat. reg. poſſeſſor. de reg. iu. in 6. Item fallit regula in exceptione non numeratæ pecuniæ, quæ inter biennium continuum proponenda eſt, quo elapſo, locupletatur poſſidens cum aliena iact. vt notat gl. in d. reg. locupletari.

REGVLA XXVI.

Aliquis non debet eſſe iudex in cauſa propria, l. penult. ff. de arb. l. qui iuriſdict. ff. de iuriſdict. om. iud. C. ne quis in ſua cauſa, per tot.

Declaratio.

Procedit, quando cauſa eſt principaliter propria; ſecus autem eſt, ſi ſit ſecun-

cun-

Digitized by Google

cundariò, argum. cap. in ſuper. de teſt, vel procedit in iuriſdictione contentioſa; ſecus tamen eſt in voluntaria, l. ſi conſul. ff. de adopt. vel etiam procedit in iudice recognoſcente ſuperiorem; ſuperiorem fallit autem in Imperatore, vel alio Principe ſuperiorem non recognoſcente; quia iudex in cauſa propria bene poteſt eſſe. l. & hoc Titius, & ibi Bart. ff. de hæred. inſtit. Si tamen vult. poteſt princeps iudicis alterius ſe iuriſdictioni ſubmittere. l. eſt receptum, vbi gloſſ. & Bart. ff. de iuriſdict. om. iud.

REGVLA XXVII.

Aliquis non debet venire contra factum ſuum. l. poſt mortem ff. de adopt. l. per fundum, C. de ſeruit. ruſtic. pręd. cum ſimilib.

Declaratio.

Procedit, niſi quid factum ſit contra leges, quia pro infecto ſemper habetur. l. 1. C. de liber. cauſ. vel procedit, niſi ex iuſta, & conceſſa cauſa deueniat. arg. l. qui iurato, ff. qui ſatiſd. cogan. ibi: Qui iurato promiſit iudicium ſiſti, non videtur periuraſſe, ſi ex conceſſa cauſa id deſeruerit.

RE-

REGVLA XXVIII.

Aliquis non debet petere id, cuius ontrarium non peteret in caſu contrario. l. pen. C. de ſolut.

Declaratio.

Procedit regulariter; fallit autem in locatione poſſeſſionis, vel fructuũ: Propter ſterilitatem enim grauem, conductori ſine culpa ſua contingentem (niſi poſſit cum vbertate præcedentis, vel ſequentis temporis compenſari, vel niſi aliud in locatione ſit actum) poteſt conductor petere, vt ei penſio, vel affictus remittatur pro rata. c. propter ſterilitatem. de loca. & conduc. Cuius tamen contrarium, in caſu contrario, magnæ videlicet vbertatis tempore, ipſe conductor non peteret.

REGVLA XXIX.

Aliquis non debet ſubire officium duorum. cap. ſingula. 89. diſt. l. ſi plures. ff. de pact. cum ſimilib.

Declaratio.

Procedit regulariter, fallit tamen cauſa neceſſitatis, vel vtilitatis inſpecta, ſecundum gloſſ. in d. c. ſingula. Vel procedit

Digitized by Google

cedit quando officia ſunt incompatibilia ſecus verò eſt , ſi compatibilia exiſtant . Vnde licet aliquis non poſſit habere duo beneficia curata ; poteſt nihilominus habere duo beneficia ſimplicia, vel curatum, & ſimplex (ſi vnum tamen non ſufficiat ad honeſtè decenterque viuendum) quia huiuſmodi beneficia compatibilia ſunt , vt habetur in Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 17. de reform.

REGVLA XXX.

Aliquo conceſſo , ea omnia intelliguntur conceſſa , ſine quibus eo commodè vti non poſſumus . l. verbo victus. ff. de verbor. ſignif. l. legatis. ff. de alimen. legat. cum ſuis concor.

Declaratio .

Procedit in materia fauorabili , vel indifferenti, vt in d. l. legatis . vbi ſi maritus relinquat vxori alimenta , debet habere victum, veſtitum, lectum, habitationem , & ea , ſine quibus non poſſet commodè , & honeſtè viuere ; ſecus tamen eſt in materia odioſa. & ſtricta. argum. l. cum hi §. qui tranſigit. ff. de tranſact. Vel procedit in coniunctis , & vbi militat eadem ratio , ſecus autem in ſeparatis , & vbi ratio eſt diuerſa l. interpoſitas . C. de tranſact.

REGVLA XXXI.

Aliud eſt eſſe talis, & aliud haberi pro tali l. ſi maritus, §. legis Iuliæ, & ibi Bart.ff.de adult.cum ſimil.

Declaratio.

Procedit, niſi eadem ratio ſit in tali ſimpliciter,& ſecundum quid.argum. l.illud, ff.ad l. Aqui. vel procedit, niſi ius diſponat, vt aliquis habeatur pro tali, quia per inde eſt tali caſu ac ſi ille ſit talis,vt per Abb.in c.fin.de biga ordinan.n. 4. Et propterea in cap.nuper. eod. tit. dicitur, quod qui duas vxores ſimul, & eodem tempore habuit, bigamiæ pænam incurrit,& pro bigamo habetur, quamuis in veritate bigamus non ſit.

REGVLA XXXII.

Aliud pro alio inuito creditore ſolui non poteſt l.2.§.1.ff.ſi cer.pet. l. eum a quo.C.de poſthu.

Declaratio.

Procedit,niſi iuſta cauſa intercedat, vel neceſſitas nulli legi ſubiecta, ſecundum gl.in d. l. 2. vel procedit quando ſolutio fit cum iniuria creditoris, & damno,vt quia res ſit deterior, vel quia poſ-

poſſit fieri deterior; ſecus verò eſt, ſi ſine iniuria, & detrimento eius ſolutio fiat, iuſtaq; cauſa ſubſit, quia aliud pro alio ſoluitur, vt notant Doctores in d.l.2. Quod enim tibi non nocet, & alteri prodeſt, facilè eſt concedendum, inquit tex. in l.ſi cui C.de ſeruit.

REGVLA XXXIII.

Allegans turpitudinem ſuam non eſt audiendus. c.inter dilectos de dona. l. tranſactione. C.de tranſact.

Declaratio.

Procedit regulariter; fallit tamen quando tractatur de ſalute animæ, vel de publica vtilitate, vt notat gloſs. per illum tex. in c.ex tenore, de teſtib. Et propterea ſi quis contraxit matrimonium cum conſanguinea ſua per falſas probationes, debet poſtea audiri, ſi alleget hanc turpitudinem ſuam, & vult probare contrarium, vt per Abb. in n. cap. cum ſuper. de conceſ. præbend. n. 9. vel procedit, niſi turpitudo ſit prius ab alio detecta, quia tali caſu eam allegare quis poſſet, vt in l.decreto.ff.de ſuſpect. tuto. ibi: Si tutor fuit pronunciatus ſuſpectus per iudicem, poteſt allegare ſuſpicionem iſtam ad effectum, vt non teneatur in futurum.

Digitized by Google

REGVLA XXXIV.

Alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri. l. non debet. ff. de reg. iur. cum ſimilib.

Declaratio.

Procedit in acquiſitis; ſecus autem eſt in acquirendis, vt notatur in d. l. non debet. Et propterea delictum filii, licet non præiudicet patri in ſuo vſufructu, quia publicatis bonis filij, non publicatur peculium profectitium, in quo pater habet plenum dominium, & poſſeſſionem, l. vlt. C. de inoffic. teſtamen. præiudicat tamen, quando agitur de lucro acquirendo; negligentia enim filii non agnoſcentis bonorum poſſeſſionem intra tempus a lege ſtatutum, & ſibi, & patri nocet. l. 1. & ibi Doct. C. qui admitti. l. contra iuris. §. ſi filius, ff. de pact. Sic parochus, vel alius ſacerdos, licet in acquiſitis, eccleſiæ nocere non poſſit, nocet tamen in acquirendis, & in ijs, quæ legata ſunt eccleſiæ, cum conditione, vt aliquid fiat, alias deuoluatur legatum ad alium; ſi enim cõditio a parocho impleta non ſit, in vtroque foro, & iure tenetur parochus huiuſmodi legatum relinquere ex Ludo. de Beia in Reſponſio. caſ. conſc. caſu 41.

RE-

REGVLA XXXV.

Appellatione filiorum, nepotes, & alij ex eis deſcendentes veniunt. l. liberorum appellatione, ff. de liber. & poſt. cum ſuis concordat.

Declaratio.

Procedit in materia fauorabili, & indifferenti; ſecus autem in materia odioſa, & ſtricta, argum. c. odia. de regul. in 6. Et propterea Io. Andr. quem refert, & ſequitur Mantua in c. ad extirpandas. de filiis, præbyt. dicit, quod licet per illum tex. filij præsbyterorum non poſſint habere immediatè beneficium paternum, quamuis etiam extra ſacerdotium, & legitimi nati ſint; poterunt tamen habere nepotes, ex quo materia ſtricta, eſt, & odioſa, & caſus omiſſus relinquitur diſpoſitioni iuris cõmunis, leg. commodiſſime, ff. de lib. & poſthu.

REGVLA XXXVI.

Appellatione ſerui ancilla continetur. l. deteſtatio §. ſerui. ff. de verbor. ſignific. Maſculinum enim regulariter concipit femininnm, ſed non e contra. §. ſi quis filiabus. inſt. qui teſtam. tuto. dari poſſ.

Digitized by Google

Declaratio.

Procedit in materia fauorabili, prout in legatis, donationibus, & huiuſmodi; quia ſi lego ſeruos, & ancillas videor legaſſe, vt dicitur in d.l. deteſtatio. Sed in materia odioſa, & ſtricta Maſculinũ non concipit femininum, ſecundum Por. in d. § ſi quis filiabus, & dicetur infra, regula, Maſculinum &c.

REGVLA XXXVII.

Appellatione pẽdente nihil eſt innouandum. l. 1. & 2. ff. nil. innouan. appell. pend. cap. paſtoralis. §. præterea de offi. deleg. Appellationis enim remedio extinguitur pronunciatum. l. 2. ff. de pæn.

Declaratio.

Procedit regulariter: fallit autem ex cauſa, & ſi malitioſe quis appellauerit. c. ad hæc 3. & ibi Doctor. de appell. Malitiis enim hominum ſemper obuiandum eſt, l. in fundo. ff. de rei vendi. Nec debet aliquis ex ſuo dolo conſequi lucrum, vel comodum. l. ſi ab hoſtibus. §. ſi vir. ff. ſolut. matrim. Quapropter iudex debet pręfigere terminũ congruentem appellanti ad appellationem proſequendam, infra quem, ſi appellationem non fuerit proſequutus, non extin-

tin-

Digitized by Google

tinguitur, neque ſuſpenditur pronunciatum. c. ad aures. de appell. Vel procedit, quantum ad cauſam, a qua appellatio interpoſita eſt; innouatur tamen, ſi non ſit innouatio contra appellationem, l. creditum. ff. man. Ex diuerſis enim non fit illatio, inquit tex. in l. Papinianus, ff. de offic. præt. Et ſi de anima ageretur, appell. non extingueret, neque ſuſpenderet pronunciatum, vt patet in ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis; vel interdicti, ſi ab ea appelletur, ſecundum Innoc. in d. c. paſtoralis.

REGVLA XXXVIII.

Approbatum ſemel non poteſt amodò reprobari c. in iſtis. 4. diſt. l. Pomponius de neg. geſt. l. cum mulier. ff. ſolut. matrim.

Declaratio.

Procedit regulariter; fallit autem quando ex noua, & iuſta reprobatur cauſa, vt not. Ioann. Andr. in d. c. iſtis. Quæ enim de nouo emergunt, nouo ſemper indigent auxilio, cap. inſinuante. de offi. de leg. in 6. Et propterea in c. inſinuante. de præſumpt. dicitur, quod delegatus ante conteſtatam litem, ante diffinitiuam ſententiam, aliquem de ijs, qui coram eo litigabant, in ſuum familiarem aſſumpſerit, ab alia parte

poteſt ob id remoueri, & alius in eius locum ſubrogari. Res enim periculoſa eſt, & triſtiſſimos ſolet euentus ſortiri, ſub iudice ſuſpecto litigare. l. apertiſſimi. C. de iudi.

REGVLA XXXIX.

Argumentum valet ab ethymologia vocabuli. l. 1. ff. de tute. tex. notab. in §. 1. inſtit. de teſtam.

Declaratio.

Procedit, & verum eſt, ſi negatiuè ſumatur: ſecus autem ſi affirmatiuè. d. l. 1. & l. tugurii. ff. de verbor. ſignific. Valet enim dicere: Non eſt teſtatio mentis, ergo non eſt teſtamentum. Nõ eſt de meo tuum, ergo non eſt mutuũ: at non e contra: Eſt teſtatio mentis, ergo teſtamentũ. Eſt de meo tuũ, ergo mutuũ, quia poteſt eſſe codicillus, & poteſt eſſe donat.

Ea autem huius rei aſſignatur ratio, quia cum ethymologia ſit generalior ethymologato, & ſe habeat tanquam genus ad ſpeciem; ideo ſicut non valet argumentum de genere ad ſpeciem affirmatiuè, quia non valet dicere: Eſt animal; ergo homo, ſed benè negatiuè, Non eſt animal, ergo non homo; eadem ratione, argumentum ab ethymologia procedit quidem negatiuè non autem af-

affirmatiuè, vt per Docto.in d.§.primo, & in § ſi ab hoſtibus. iuſti. quib. mod.ius pat.poteſta.ſol.

REGVLA XL.

Argumentum valet à contrario ſenſu.l. 1.ff. de offi. eius c. qualis. 25. diſt. c. cum Apoſtolica de iis quæ fiunt a prælat. Vnde Exo. c. 32.cum dicat Dominus Moyſi; Deſcēde, quia peccauit populus tuus, perinde eſt, ac ſi a contrario ſenſu ei diuina vox diceret: iam non eſt populus meus, populus, qui tali lapſus eſt peccato Reuera enim, vt dicit gl in d. c. Apoſtolica. propter peccatum homo recedit à Deo.

Declaratio.

Procedit, niſi ſequatur, fiatque correctio legum, vel abſurdum ſemper euitandum. l. nam abſurdum de bonis liberto, cum ſimil.

REGVLA XLI.

Argumentum valet a ſolitis, l.certi condit.§.ſi nummos,ff.ſi cer.pet.cum ſi.

Declaratio.

Procedit, quando ſolita ſunt,& honeſta; namque dicitur alibi; Non quod fit?

ſed quod fieri debet, inſpiciendum eſt, & non omne, quod licet, honeſtum eſt. l. quod ſemper. ff. de ritu. nup. c. magnæ de voto.

REGVLA XLII.

Argumentum valet de contractibus ad vltimas voluntates. l. quæ de legato. ff. de l. 1.

Declaratio.

Procedit, vbi militat eadem ratio: non autem ſemper. Immo fauorabiliores ſunt vltimæ voluntates contractibus, quia ſi lego vina, & vaſa videor legaſſe. Et dominium rei legatæ tranſit ſine traditione, ſed dominium rei venditæ non l. in teſtamentis, & ibi gl. notab. ff. de reg. iur.

REGVLA XLIII.

Argumentum valet ab abſurdo euitando. l. nam abſurdum. de bon. liber Abſurdum enim ſemper euitari debet. d. l. nam abſurdum, & leg. conuenticulam, C. de epiſcop. & cler.

Declaratio.

Procedit, & habet locum, niſi ſequeretur maius abſurdum; Quia abſurdum quandoque tolleratur, vt euitetur abſurdius leg. quoties. ff. de reg. iur.

RE-

REGVLA XLIV.

Argumentum valet de ſimilibus ad ſimilia, l. non poſſunt, ff. de legi cum ſuis concord.

Declaratio.

Procedit, niſi differant in pluribus aliis: Quia omne ſimile non eſt idem. l. quod nerua. ff. depo. vel procedit, quando eſt omnimoda ſimilitudo, vt notat Abb. in cap. inter corporalia. de transl. prelato. n. 18.

REGVLA XLV.

Argumentum valet de filio ad ſeruum; Quia filius, & ſeruus æquiparatur. §. 1. inſt. quod cum eo. §. ſiue autem. inſtit. de ſtip. ſeruo.

Declaratio.

Procedit quoad acquiſitionis actum; ambo enim. quicquid acquirunt, patri, ſiue domino acquirunt, d. §. ſiue autem; ſicut, & monachus, quicquid acquirit, monaſterio acquirit, ſecundum Innoc. in cap. cum olim. de priuileg. vel procedit, quantum ad votum; Vota enim filiorum familias religioſorum, & aliorum, qui alterius poteſtati ſubduntur, & a ſuperioribus irritata non

Digitized by Google

obligant. c puella, & c. ſi. 20. q. 2. notat. Sanctus Thomas 2. 2. qu. 88. artic. 9. & Nau. in Man. c. 22. n. 23.

REGVLA XLVI.

Argumentum valet de dote ad legitimam. authen. res quæ. C. communia. de lega.

Declaratio.

Procedit in caſibus a iure expreſſis, & vbi militat eadem ratio, non autem ſemper. Immo pater inuitus tenetur dare dotem filiæ, dum viuit. Sed legitimam non. l. 1. §. ſi impuberi. in fin. ff. de colla. bono. Decius in leg. de quæſtione. C. de pact. n. 14.

REGVLA XLVII.

Argumentum de toto ad partem in iure validum eſt. l. quæ de toto. ff. de rei vendi.

Declaratio.

Procedit, niſi totius, & partis ſit ratio diuerſa; quia vbi eſt diuerſa ratio, ibi diuerſum ius eſſe debet. l. interpoſitas. cap. de tranſac. vel procedit, niſi aliud reperiatur diſpoſitum a iure in parte, & aliud in toto, vt per Mynſinge. in §. nihil autem, inſtit. de fidei com.

hæ-

Digitized by Google

hæreditat. Vel procedit regulariter: fallit autem in indiuiduis, & in falſa demonſtratione legato adiecta, quia ſi in totum ſit falſa, non vitiat legatum, ſi in parte illud euertit. l. falſa demonſtratio. ff. de condit. & demonſt.

REGVLA XLVIII.

Argumentum à contrariis valet, quia contrariorum eadem eſt diſciplina. l. 1. ff. de iis, qui ſunt ſui, vel ali. iur. §. 1. inſtit. eod.

Declaratio.

Procedit, quo ad cognitionem, quia vno cognito contrariorum, cognoſcitur & reliquum, vt in dict. §. ibi: Si enim cognouerimus quæ perſonæ alieno iuri ſubiectæ ſunt, ſimul intelligemus: quæ ſui iuris exiſtant: Quò autem ad effectus, contrariorum non eadem eſt diſciplina, immo diuerſa, quia ex contrariis diuerſi ſequuntur effectus. l. inter ſtipulantem. §. ſacr. ff. de verb. oblig.

REGVLA XLIX.

Argumentum à correlatiuis valet. l. fin. C. de indic. vid. tol. l. 1. C. ne liceat potẽtia. Diſpoſitum enim in vno ex eis, in-

intelligitur regulariter etiam in altero diſpoſitum eſſe. d.l.fin.

Declaratio.

Procedit, quando correlatiuorum eſt par, eademq;ratio, vt in d.l. fin. ibi: Sicut conditio, quæ viduitatem inducit, in vxoribus non attenditur, & habetur pro non adiecta: ita neque in maritis attendi debet, cum inter eos circa matrimonium eadem militet ratio ſecus autem eſt, quando correlatiuorum eſt ratio diuerſa vt notat Dec. in l. humanitatis.col.3 C.de impub.& aliis ſubſt.

REGVLA L.

Argumentum valet de coniuncto, ad amicum. l. exigendi. C. de procur. cum ſimilibus.

Declaratio.

Procedit in caſibus à iure expreſſis, & vbi militat eadem ratio, non autem ſemper. Immo videmus, quod ius amicitiæ tollitur, vel tolli poteſt. l.3. §. fin. ff. de adim. lega. ius vero agnationis, ſiue agnatio ipſa, nequaquam. l.iura ſanguinis. ff. de reg. iur.& propterea dicebat Bald. in l. codicillis. §. matre.ff. de leg.2.quod ſi quis occidat nepotem ex ſorore eidem tamen ſuccedet. Immo etiã ſi ſororem ipſam occideret, ſuc-

ſucceſſione non priuaretur in bonis ipſius ab inteſtato decedentis. Talis enim ſucceſſio, cum à cauſa naturali proueniat, per delictum abſorberi non poteſt. Præterea coniunctus, licet contra coniunctum regulariter teſtis eſſe non poſſit. l. parentes. C. de teſtib. Amicus tamen pro alio amico, vel contra amicum, teſtis non repellitur, vt notat gloſſ. in l. ſciendum. ff. de reg. iur. & notatur in c. inſuper. de teſtib. & atteſtat.

REGVLA LI.

Argumentum valet à ſufficienti partium enumeratione. cap. cum delectus de iure pat. cap. venerabilem de elect.

Declaratio.

Procedit, quando omnes partes ſunt ſufficienter enumeratæ: ſecus autem ſi omnes partes ſufficienter enumeratæ non ſint, quia tollitur argumentum, vt notat Abb. per illum text. in d. cap. venerabilem. n. 8 Cum enim ibi arguerent quidam Principes, quod Legatus Papæ, aut Gerens perſonam electoris, aut cognitoris, vtroque caſu malè proceſſit rationibus, vt in capit. venerabilem. Papa argumentum huiuſmodi confutando adiecit, quod nec electoris, nec cognitoris Legatus perſonam geſſit, ſed denunciatoris officium exer-

exercuit: & hoc vltimum membrum fuerat omiſſum ab eis arguentibus, & ſic omnes partes ſufficienter enumeratæ non fuerant.

REGVLA LII.

Argumentum valet de matrimonio carnali ad matrimonium ſpirituale. c. licet. de translat. epiſc. cap. ſicut. 7. q. 1.

Declaratio.

Procedit, & verum eſt, vbi militat eadem ratio, vt in d. c. ſicut. vbi dicitur: Sicut vir non debet vxorem ſuam dimittere, ita nec epiſcopus eccleſiam abſque ineuitabili neceſſitate, vel Apoſtolica mutatione. ſecus verò vbi ratio eſt diuerſa. l. interpoſitas. C. de tranſact.

REGVLA LIII.

Argumentum à minori ad maius in iure validum eſt. authent. multo magis. C. de ſacroſan. eccleſ. cap. de inducijs. 3. q. 3. Si enim id, de quo minus videtur ineſſe, ineſt: ergo & id, de quo magis, vt habet Ariſt. Topic. lib. 2. cap. 4. & notat gloſ. per illum text. in c. cum in cunct. de elect. ibi: Cum in cunctis ſacris Ordinibus, ſint ætatis maturitas, grauitas morum, & literarum ſcientia inquirenda;

renda; quanto magis in epiſcopo hæc oportet inquiri, qui ad aliorum curam poſitus eſt? Ad idem eſt text. in cap ſi in laicis. 38. diſt. ibi: Si in laicis vix tolerabilis, videtur inſcitia; quanto magis in iis, qui præſunt, nec excuſatione digna eſt nec venia? Ad idem etiã eſt bonus tex. in cap. tua nobis de deci. Si domino temporali penſio ſoluitur, vel afflictus, non quidem deductis sumptibus aut ſemine ſeparato; quanto magis decimæ, quas Deus in ſignum vniuerſalis dominii ſibi reddi præcepit, ſuas eſſe decimas, & primitias aſſeuerans, abſq; deductione ſeminis porſoluendæ ſunt,

Declaratio.

Procedit, & habet locum, ſi affirmatiuè huiuſmodi argamentum ſumatur: ſecus autem ſi negatiuè, vt notat gloſſ. in d.c cũ in cunctis Vel procedit, quando minoris & maioris eſt eadem ratio, vt in iuribus allegatis: ſecus autem eſt. ſi minoris, & maioris ſit ratio diuerſa.

REGVLA LIV.

Argumentũ à maiori ad minus in iure validum eſt. c. ſi Paulus. 32. q. 5. c imitare. 6. q. 1. c quilibet 40. diſt. ſi enim id de quo magis videtur ineſſe, non ineſt: ergo

Digitized by Google

ergo nec id. de quo minus, vt tradit Ariſt. Top. lib 2. cap. 4. & notat gloſ. in cap. cum in cunctis. de elect. Ad idem eſt tex. in c. clericis, de iud. vbi dicitur: ſi lex Imperatoris non præiudicat ſacris canonibus, diſponentibus, vt non poſſit clericus coram iudice ſeculari conueniri: quanto minus conſuetudo, quæ potius corruptela in hac parte dicenda eſt, eiſdem præiudicabit?

Declaratio.

Procedit, & verũ eſt, ſi negatiuè huiuſmodi argumentum ſumatur; ſecus autem ſi affirmatiuè, vt notat gloſ in d. cap. cum in cunctis. Vel procedit regulariter: fallit autem in materia diſpenſationis, & in exorbitantibus, vt notat Abbas. in cap. licet. de translat. n. 4. Non enim ſequitur, (dicit Abbas) diſpenſatum eſt in maiori: ergo conceſſum, vel diſpenſatum eſt in minori, Et propterea idem Abb. in cap. non debet. de conſang. & affinit. dicit, quod diſpenſatio obtenta ſuper affinitate, non extenditur ad publicæ honeſtatis iuſtitiam, niſi de ea facta fuerit mentio. Et diſpenſatio obtenta de bina comestione in die ieiunij, non extenditur ad comedẽda prohibita, niſi alia iuſta ſubſit cauſa relaxationis, & ille cum quo diſpenſatur, vt in die feſti laboret. non

deo-

deobligatur ab audienda miſſa, ſi commodè illi intereſſe poteſt, vt per Lud. Beia in ſuis Reſp. caſ. conſ. caſu 45.

REGVLA LV.

Argumentum valet de clericis antiqui teſtamenti ad clericos hodiernos. cap. nouum genus. de deci.

Declaratio.

Procedit in caſibus à iure expreſſis, & vbi militat eadem ratio, vt in d. c. nouum genus, vbi talia ſunt verba: Nouũ genus exactionis eſt, vt clerici à clericis decimas exigant; cum nuſquam in lege Domini hoc legamus: Non enim Leuitæ a Leuitis decimas accepiſſe leguntur: ſecus autem eſt, vbi ratio eſt diuerſa, vt notat Abbas. in d. c. nouum genus. Et propterea quibuſdam arguentibus licitum eſſe debere clericis noui teſtamenti, ad inſtar Sacerdotum, & Leuitarum veteris teſtamenti vxores ducere, reſpondet Summus Pontifex in cap. 82. diſt. quod inter eos non eſt par, eademq; ratio, cum alia cauſa fuerit in illis, quam in iſtis. Illis enim propter ſobolis ſucceſſionem vxoris vſus fuerat relaxatus, quia non ex alia, niſi ex tribu Leui quiſquam ad Dei miniſterium fuerat præceptus admitti; ſed noui teſtamẽti Sacerdotes poſſũt eligi de qua-

quacunque ratione, eiſq; ſacerdotium. vel miniſterium ſine ſucceſſione eſt, & ſic matrimonium illis neceſſarium non eſt, prout Leuitis, & clericis veteris teſtamenti neceſſarium erat.

REGVLA LVI.

Benefacientibus nobis, benefacere debemus. Nam beneficii receptor naturaliter obligatur. l. & ſi lege. §. conſuluit ſenatus. ff. de pet. hæred.

Declaratio.

Procedit de honeſtate, & conſilio: ſecus autem de neceſſitate, in foro fori, & de iure ciuili. Obligatio enim naturalis tantũ de iure ciuili non producit actionem. l. iuriſgentium. ff. de pact. l. frater a fratre. ff de condit. indeb. cum ſimili.

REGVLA LVII.

Beneficia Principum latiſſimè ſunt interpretanda. l. fin. ff. de conſt. princ. cum ſimilib.

Declaratio.

Procedit in dubio: Vel procedit, niſi duo ſpecialia includerentur. Vel niſi ratio refragetur, quia tũc beneficia Principum

cipum moderari debent ſecundũ ius cõmune.l.ex facto, in princip.ff. de vulg. & pupillar. vel procedit in beneficiis, ſecus autem eſt in priuilegiis. Priuilegia enim, cum recedant à iure communi, & omnis receſſus à iure communi ſit odioſus. c.1. & 2.de fil.presbyt. ideo reſtringi oportet.c. odia. de regul.iur. in ſexto. Vel in beneficiis largiſſima fit interpretatio, dummodo non concernant alterius damnum.l.2. §. ſi quis à principe.ff.ne quid in loco public.

REGVLA LVIII.

Beneficium Principis debet concedi ſine alterius præiudicio.l. 2. §. ſi quis à principio. ff. ne quid in loco publ. l. nec auus. C.de eman. liber.

Declaratio.

Procedit, quando præiudicium magnum eſt,& conſiderabile: ſecus autem quando paruum exiſtit, quia paruum præiudicium tolleratur, vt notat gloſſ. in d.l.nec auus.& facit text.in l. reſcripta, & ibi gloſſ.in verbo non lædat. depreci. imper.off. vbi reſcripta, quæ neminem lædunt, & ſupplicantibus proſunt, valent, licet aliquantulum lęderent. Parum enim pro nihilo reputatur; & paruitas rei in omni

ma-

materia excuſat, vt per Nauar. in Man. cap. 17. num. 2.

REGVLA LIX.

Beneficium iuris nemini auferendum eſt. l. 4. §. ſi quis condemn. ff. de re iudic.

Declaratio.

Procedit, niſi aliquis in ius ipſum peccauerit: Quia fruſtra inuocat auxilium legis, qui in legem committit. l. auxilium. in fin. ff. de minor.

REGVLA LX.

Beneficio ſuo quilibet renunciare poteſt. cap. ad Apoſtolicam. de reg. l. fin. §. ſi mulier. ff. ad Velleianum.

Declaratio.

Procedit, quando beneficium perſonale eſt, & ſingulare: ſecus autem ſi eſſet commune, & omnium fauore introductum, vt notat gloſſ. in dicto cap. ad Apoſtolicam, & facit text. in cap. ſi diligenti. de foro competen. Vel procedit, quando beneficium fauorabile tantum eſt: ſecus autem ſi pro vna parte ſi fauorabile, & pro altera odioſum, vt tradit Goffred. in ſumma. tit. de renunciat. n. 2. Et propterea, quamuis

uis beneficio Velleiani mulier renunciare poſſit. l vlt. ff. ad Velleian. quia introductum eſt in fauorem tantum mulierum, quæ pro aliis fideiubendo, vel promittendo ſe obligauerunt: Macedoniani tamen beneficio filijfamilias renunciare non poſſunt, quia partim in eorum fauorem, partim verò in creditorum odium à lege introductum eſt. l. qui exceptionem. ff. de cond. indeb. Sic clerici non poſſunt renunciare beneficio, ſeu priuilegio, de quo in cap. ſi quis ſuadente diabolo. 17. q. 4 vbi dicitur: Si quis ſuadente diabolo, huius ſacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum, vel monachum manus violentas iniecerit, anathematis vinculo ſubiaceat: & nullus epiſcoporum illum præſumat abſoluere, (niſi mortis vrgente periculo) donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & eius, mandatum ſuſcipiat. Tale enim beneficium inductum eſt in fauorem clericorum, & in odium laicorum, qui oppido ſunt infeſti clericis, cap. laicos. 2. q. 17. Veruntamen ſi percuſſio eſſet leuis, aut pro ſe defendendo aut ſi inuentus eſſet clericus cum vxore, matre, vel ſorore, vel ſi percutiens eſſet mulier, debilis, impubes, aut superior, iſtis caſibus epiſcopus, aut eius vicarius, benè abſoluere poſſet, vt notat

tat gloſſ.in d.c.ſi quis ſuadente,& tradit Nauarr. in Manual.c,27.n.91.Præterea beneficio ſuo quis renunciare non poteſt,quando ex ſua renunciatione etiam iuri alterius præiudicium generaretur. Et ideo clericus non poteſt ſimiliter renunciare beneficio ſui fori, quia ex hoc præiudicaretur epiſcopo. cap.non liceat. 3.q.6.cap.clericum 11.q 1.

REGVLA LXI.

Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè ſine canonica inſtitutione obtineri c.beneficium.de reg.iur.in 6.

Declaratio.

Procedit, & verum eſt, quando beneficium habetur in titulum; Sed præbenda aliqua aliquando aſſignatur paruulis, aliquando laicis, vt pulſatoribus campanæ, & huiuſmodi, & in iſtis non requiritur canonica inſtitutio, vt notat gloſſ. in dict.cap.beneficium. Item neceſſitatis, vel pietatis, vel impenſ obſequii cauſa, ſine canonica inſtitutione poſſidet quis eccleſiaſticos prouentus,nec ex eo canonicus,vel beneficiatu propriè dicitur.cap.quicunque.16.q.1.& notat gloſſ. in d c.beneficium. verb. obtineri.

RE-

REGVLA LXII.

Beneficium non confertur in inuitum. l. inuito. ff. de reg. iur. l. nec emere. C. de iur. deliber.

Declaratio.

Procedit regulariter: fallit autē quando tractatur de publica ſalute, & vtilitate. arg. l. vni. §. penul. C. de caduc. tol. Et propterea excommunicatus inuitus ab excommunicatione poteſt abſolui, & ſeruis etiam inuitis libertas acquiritur: cum Reipublicæ expediat homines liberos habere. l. 2. 3. & 4. ff. de liberali cau. Angel. in ſumma. verbo abſolutio. 3. n. 7. Et ob id Auguſtinus in c. & qui emendat. 45. diſt. dicit, quòd multa bona præſtantur inuitis, quando eorum conſulitur vtilitati, non voluntati, quia ſibi ipſi inueniuntur inimici. Et gloſ. notab. in c. 1. 79. diſt. dicit, quòd Medicus inuitum curare debet infirmum, ſicut inuitus poteſt quis extrahi de domo ruitura.

REGVLA LXIII.

Benemerentibus præmia tribui oportet. leg. virtutum præmia cum ibi al. leg. C. de ſtatuis, & imaginibus.

Declaratio.

Procedit, dum tamen illa præmia non concernant alterius præiudicium, & damnum vt in d. l. & virtutum præmia, ibi: de licentia Principis poteſt erigi ſtatuta in honorem alicuius virtutum præmia merentis, ſed non expenſis popularium, ſed illius, in cuius honorem erigitur.

REGVLA LXIV.

Benignior ſententia in dubio eſt præferenda. l. ſemper. ff. de regul. iur l. ſi pars ff. de inoffic. teſtamen. l. in dubiis. ff. de regul. iur.

Declaratio.

Procedit in propriè dubio, vt in d. l. ſi pars. vbi quando agitur contra teſtamentum, & dubium eſt, an illud ſit validum, necne, iudex in tali caſu pro teſtamento ferre debet ſententiam, & in d. l. in dubiis, dicitur, quod ſi de dote agatur, pro dote in dubio ferri debet ſententia: ſecus autem eſt, ſi non ſit ita dubium, vt per Ludou. de Beia in ſuis Reſponſ. caſ. conſc. caſu 13.

REGVLA LXV.

Bona fides non patitur, vt bis idem exi-

Digitized by Google

exigatur. l. bona fides. ff. de reg. iur. c. bona fides. eod. tit. in ſexto.

Declaratio.

Procedit regulariter, quandoq; tamen in pœnalibus fallit, vt §. vlt. inſtit. ſi quadr. paup. fec. di. ibi. Si quadrupes non manſueta nocumentum in hominem fecerit, dominus ipſius arbitrio iudicis condemnari debet. Si in rebus intulerit damnum, in duplum condemnabitur, & dabitur actio non ſolum ex edilicio edicto, ſed etiam de pauperie aduerſus dominum ipſum. Item fallit, vbi à contrahentibus actum, vel conuentum eſt, vt toties pænæ exigatur, quoties contra actum fuerit, vt notat gloſſ. in d. c. bona.

REGVLA LXVI.

Bona fides in contractibus eſt ſeruanda l. bona fides, ff. dep. l. bonam fidem. C. de act. & obl.

Declaratio.

Procedit regulariter, verum ſi in contractu modica ſit aliquando iniuſtitia, non redditur ob id talis contractus vitioſus. De modicis. n. non eſſe curandũ, in qui text. in l. Sæio. ff. de in integ. reſt. Quinimò de iure ciuili citra dimidium

Digitized by Google

fraus tolleratur, quando non ex animo, ſed incidenter interuenit. l. in cauſæ. & ibi gloſſ. ff. de minor. Ideo autem de l. ciuili dicimus, quia licet ab humanis legibus, propter imperfectos ad tollendas litigiorum occaſiones hoc permiſſum ſit: lege tamen diuina, iuſtè, & æqualiter omnia menſuranda eſſe cauetur. vt per D. Th. 2. 2. q. 77. art. 1. ad primum, & dicetur infra in regula, licitum eſt contrahentibus, &c. vel procedit hæc regula in contractibus bonæ fidei, qui ſunt emptio, venditio, &c. vnde verſus.

Empti, conducti, mandati, depoſitique,
Pignora ciſcundæ, communi pro ſocioq;
Dotis & heredis, tutelę, comoda geſtor,
Præſcriptis verbis, ſi mutat, ſiue licetur
Iſta bonę fidei ſunt, ſtricti cętera iuris.

In talibus enim exigitur, vt ceſſet dolus ad eorum eſſentiam, alias contractus eſt ipſo iure nullus, vt notat gloſſ. in d. l. bonam fidem. Sed in contractibus ſtricti iuris, dolus dans cauſam contractui, non vitiat ipſo iure, ſed ex eo datur exceptio, vt per Mynſing. in §. actionum, inſtit. de act. n. 13.

REGVLA LXVII.

Boni iudicis intereſt lites dirimere. l. properandum. C. de iudic. c. fine litibus. de

Digitized by Google

de dolo, & contu. c. iurgantium, de ſent. & re iud.

Declaratio.

Procedit, dummodo iudex plenè ſit inſtructus; quia, vt dicit Abb. in d. cap. iurgantium: Debet iudex accelerare expeditionem, ita tamen, vt iuris ordo non prætermittatur.

REGVLA LXVIII.

Bonorum poſſeſſio, & hæreditas æquiparantur. l. 2. ff. de bon poſ. cum ſimilib. Sicut enim bonorum poſſeſſio tranſit ad poſteros cum onere, & honore, ita etiam hæreditas. l. 1. ff. eod. & ſicut in bonorum poſſeſſione habet locum ius accreſcendi, & ſucceſſorium ædictum: ita etiam in hæreditate. d. l. 2.

Declaratio.

Procedit regulariter, & in caſibus expreſſis à iure: fallit autem, quia ad petendam hæreditatem currit ſpacium continuum annorum triginta. l. licet. C. de iure deliberandi. Ad agnoſcendam autem bonorum poſſeſſionem, currit liberis ſpacium vtile vnius anni, cæteris verò centum dierum. leg. 2. Codic. qui admitti. Item fallit, quia hæreditas adiri poteſt ſola animi deſtinatione, & ſine vlla iudicis au-

Digitized by Google

auctoritate. l. auia. C. de iure deli Sed ad agnoſcendam bonorum poſſeſſionem requiritur auctoritas Iudicis cum cauſæ cognitione. l. fin. C. qui admitti. Et ſicut hæreditas introducta eſt a iure ciuili, ita bonorum poſſeſſio à iure præt.

REGVLA LXIX.

Bonus præſumitur, qui de bono genere natus eſt. l. quod ſi nolit. §. qui mancipia. ff. de edi. ædic. l. cum vnus, & ibi gl. ff. de alimen. leg. facitque tritum, & vulgatum illud: Sæpe ſolet filius ſimilis eſſe patri, & illud Horatii:

Fortes creantur fortibus, & bonis.

Ex quo Dominus, & Saluator noſter dicebat: Non poteſt arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. Et apud adagium dicitur: Filius eſt imago patris. Sic contra: Malus præſumitur, qui de malo genere natus eſt; vt notat gloſſ. in d. l. cum vnus.

Declaratio.

Procedit regulariter, & in dubio: ſecus autem eſt, quando contrarium conſtaret, prout contrarium multoties accidere ſolet. Ecce enim paral. lib. 2. c. 11. & ſeq. legitur, quod Roboam filius ſapientiſſimi Salomonis (vt multos

alios,

Digitized by Google

alios, ac infinitos prætermittam ſilentio) fuit rex iniquus, & prauus. Is enim legem Domini dereliquit, conſtituens ſibi Sacerdotes excelſorum, & dæmoniorum, vitulorumque, quos fecerat: vnde & ob prauitatem eius Regnum Iſrael in duas diuiſum eſt partes, Abias autem eius filius fuit Rex iuſtus, & bonus, cuſtodiuitque præcepta Domini, quæ reliquerat pater eius. Sic Marcus Aurelius ab omnibus ſcriptoribus optimus Imperator, atque iuſtus deſcribitur: Commodus autem eius filius, omni triſtitia, omnique flagitio fuit plenus.

REGVLA LXX.

Canonum ſtatuta ſunt ab omnibus obſeruanda. c. 1. & ibi Doct. de conſt. l. leges. 1. C. de legib.

Declaratio.

Procedit in ſtatutis, non abrogatis per contrarium canonem, vel conſuetudinem: illa enim ſeruanda non ſunt. c. 1. 26. diſt. & notat gloſſ. in d. c. 1. Vel procedit in ſtatutis continentibus præcepta, vel prohibitiones: ſecus autem in ſtatutis, quæ de conſilio loquuntur, quia talia non obligant, vt infra dicetur in regula: Conſilium neceſſitatem non inducit. Vel canonum ſtatuta ſunt obſeruanda ab omnibus ſubditis. Papa

autem, & Imperator legib. non ſubijciuntur, niſi quatenus emanant à iure Diuino, vel naturali, quamuis profiteantur velle viuere ſecundum leges l. digna vox C. de legib. Iudæi ſimiliter, & alii infideles ſacris canonibus non conſtringuntur, niſi in locis expreſſis à iure: Quia de his, qui foris ſunt, nihil ad nos, inquit text. in c gaudium. de diuor.

REGVLA LXXI.

Caſus fortuitus liberat debitorem. l. quæ fortuitis, l. ſi nulla. C. de piguor. act. l. quod re. ff. ſi certum pet.

Declaratio.

Procedit in debitore ſpeciei: ſecus autem eſt in debitore generis, vel quantitatis. Quia genus perire non poteſt. l. in ratione. §. incertæ ff. ad l. falcid. Porrò debitor ſpeciei ille dicitur, qui in ſpecie rem aliquam debet, vt puta ſeruum, bouem, & huiuſmodi. Debitor verò generalis ille dicitur, qui in genere aliquid debet, vt puta decem, vel centum ducatos. Ideoque dicitur quod genus perire non poteſt, quia dato, quod vniuerſa pecunia debitoris mei amiſſa vel conſumpta ſit. extat tamen alia pecunia eiuſdem generis, cum qua debitum mihi ſoluere poteſt. dict. §. incertæ.

Vel

Vel procedit, ſi ante moram debitoris res debita ſit extincta: ſecus autem ſi poſt moram eius. d. l. quod te. & ibi DD. Vel etiam procedit, ſi ſine debitoris dolo, vel lata culpa, vel facto iniuſto, res debita ſit amiſſa, vt dicitur in dict. l. ſi nulla. ibi: Si nulla culpa, ſeu ſegnitia creditori imputari poteſt, pignorum amiſſorum diſpendium ad periculum eius non pertinet: ſecus autem eſt, ſi dolo, vel lata culpa, aut facto iniuſto debitoris, res debita ſit extincta: tunc enim caſus fortuitus non liberat debitorem. l. ſi quis ſolutioni. in fi. ff. ſi cert. petat.

REGVLA LXXII.

Caſus fortuitus non liberat debitorem. l. quod te. ff. ſi cert. pet. l. ſi quis ſolutioni. in fi. ff. eo.

Declaratio.

Procedit, quando debitoris mora dolo, lata culpa, vel facto iniuſto res debita perijt. d. l. quod te ibi Doct. ſecus autem eſt regulariter, vt ſupra fuit dictum in reg. præcedenti.

REGVLA LXXIII.

Ceſſante cauſa, ceſſat effectus. l. genera-

liter. C. de epiſc. & cler. cum ceſſante. de appe. c. & ſi Chriſtus. de iure iur. Sic ceſſante legis ratione, ceſſat lex, vel ipſum ius. l. fin. ff. ad Syla. cum ſimil.

Declaratio.

Procedit, quando omnis cauſa ceſſat, videlicet impulſiua, & finalis, efficiens, & occaſionalis: ſecus verò eſt, quando ceſſat cauſa tantum impulſiua, vt notat gloſſ. in d. cap. & ſi Chriſtus. Et propterea ſi ſtatutum dicat, quòd vxore moriente ſine liberis, vir lucretur dimidium dotis, quamuis non exprimatur cauſa; tamen nos debemus coniecturare, cauſam principalem eſſe propter ſumptus, quos facit maritus in traducendo vxorem ad domum: vnde ſi non duxit, & ſic cauſa principali ceſſante, non debet habere mediam partem dotis. Secus autem, ſi ſic lucraretur mulier, ſicut vir, quia cauſa principalis exiſtimaretur affectus maritalis, & illa impulſiua tantum, & ideo etiam ſi non duxiſſet, lucraretur. Hæc Ang. in ſumma, verbo lex n. 4. & Abb. conſ. 1. Vel, ceſſante cauſa, ceſſat effectus, niſi effectus eſſet impreſſus, & conſumatus, vt §. affinitatis. inſt. de nup. ibi: Mortua vxore, quæ erat cauſa affinitatis, non tollitur affinitas iam contracta, & impreſſa cum aliqua ſua conſanguinea.

RE-

REGVLA LXXIV.

Ceſſante cauſa impedimenti, ceſſat impedimentum. l. libertorum §. 1. ff. de ijs, qui not. infa. cum ſimilib.

Declaratio.

Procedit, niſi eſſent duæ cauſæ, quia vna ceſſante, impedimentum non ceſſat. §. affinitatis, inſtit. de nupt. Et propterea, quia duabus ex cauſis non poteſt quis habere in vxorem priuignam, vel nurum. Primò, quia duas vxores quis eodem tempore habere non poteſt. Secundò, propter affinitatem, quæ eſt inter ipſos. Ideo vna ceſſante, vxore videlicet mortua, cum alia adhuc remaneat, impedimentum non ceſſat, vt dicitur in d. §. affinitatis.

REGVLA LXXV.

Circuitus eſt euitandus. l. dominus teſtamento. ff de condit. indebit. l. fi. C. de adop. Fruſtra. n. fit per plura quod æquè fieri poteſt per pauciora. l. fin. C. de dona.

Declaratio.

Procedit, quando circuitus eſt inutilis. Quia fieri non debet, quod factum non releuat. l. hæc ſtipulatio. §. diuus. ff.

vt legatorum nomin.caue.ſecus autē eſt, quando circuitus vtilis eſſet; quia tunc euitari non debet, vt notatur in d. l. fin.

REGVLA LXXVI.

Ciuilis obligatio, ciuilia iura corrumpere poteſt, ſed naturalia non. §. fi. inſt. de legi. agnat. tu. §. ſed naturalia. inſtit. de iur. natur. gen.& ciu. Ius enim naturale immutabile permanet. c. 1. 5. diſt. ſed ius ciuile per aliud ius, vel per contrariam conſuetudinem tollitur, vt dicitur in d.§. ſed naturalia. Et propterea mater Dioniſii tyranni Siciliæ, cum conatus eſſet filius illi ſtuprum inferre, ſic fertur dixiſſe: Tyrānus quidem leges ciuiles immutare poteſt, ſed iura naturalia prorſus tollere nullo modo poteſt.

Declaratio.

Procedit quò ad eſſentiam, & ſui totalitatem; quò autem ad effectus extrinſecos, & in quibuſdam, ius naturale benè tolli poteſt, vt notant Doct.& gloſſ. in d. §. ſed naturalia quidem. Et ob id gloſſ. in c. à nobis. de decis: quòd licet Papa conſtitutionem non poſſit facere, quæ ius illud naturale, & diuinum, de ſoluendis decimis tolleret omninò: poſſet tamen ſuper ipſum ius diſpenſare, ſpecialiter decimas alicui remittendo. Vel, contra ius naturale regulariter

riter diſpenſari non poteſt: fallit tamen ex vrgenti, iuſta, & rationabili cauſa. Vnde Dominus in Euang. Matth. c. 19. excuſans Moyſem, quòd contra naturæ æquitatem permiſerat Iudæis, vt propter non ſatis iuſtas offenſiones, vxores ſuas repudiarent; propter duritiam cordis eorum, & ſic ex cauſa, hoc illis Moyſem permiſiſſe reſpondit, non quòd neſcierit aliud naturalem æquitatem præcipere.

REGVLA LXXVII.

Clerici non poſſunt teſtari. cap. relatum. 2. de teſt. c. epiſcopi 12. q. 1. c. quia Ioann. 12. q. 5.

Declaratio.

Procedit de rebus acquiſitis intuitu eccleſiæ, vel beneficii: ſecus autem eſt de rebus patrimonialibus, vel quaſi, videlicet de ijs, quæ ex hæreditate, vel artificio, aut doctrina illis prouenerunt, quia de talibus benè poſſunt diſponere, vt dicitur in dict. c. relatum. Vel procedit, ſi generaliter de omnibus rebus acquiſitis intuitu eccleſiæ, vel beneficij teſtentur: ſecus autem eſt, ſi de modica aliqua quãtitate rerum mobiliũ diſponant, relinquendo illas pauperibus, ant religioſis locis, aut illis,

qui

Digitized by Google

qui viuenti ſeruierunt, ſiue conſanguinei illi ſint, ſiue alii, iuxta ſeruitutis meritum, vt ibidem dicitur, Vel prætere id verum eſt, & locum habet de iure canonico: ſecus autem eſt, vbi conſuetudo in contrarium eſſet, prout in hac Sereniſſima Republica Veneta in contrarium exiſtit; tunc enim de licentia epiſcopi, tam ad vſos pios, quam ad vſus profanos, tam de rebus patrimonialibus, vel quaſi, quam de rebus acquiſitis intuitu eccleſiæ, clerici benè poſſent teſtari, vt aduerſus Nauarrum ſatis efficaciter probat, & tenet Ludouic. Mollina, in primo tomo de iuſt.& iure. tract. 2. diſp. 147.

REGVLA LXXVIII.

Coacta voluntas eſt voluntas, c. merito. 15. q. 1. c. diſplicet. 23. q. 4. l. ſi mulier. §. vlt. ff quod met. cau.

Declaratio.

Procedit, quando coactio conditionalis eſt, vt in d. c. meritò: ſecus autem eſt in coactione abſoluta, vt not. gloſſ. in c. de Iudæis 45. diſt. Porro coactio conditionalis eſt, quando quis cogitur, vt vnum de duobus eligat, de qua in c. lectores. 32. diſt, ibi Lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur, aut vxores ducere, aut continentiam profite-

ſiteri. Et hæc coactio non excuſat in aliqua materia,& ſuſcipiẽs baptiſmum, vel ordinem, coactus huiuſmodi coactione, verum caracterem ſuſcipit, vt notat Ang. in ſumma, verbo baptiſmus.
6 § 9. Quinimo matrimonium, per talem coactionem contractum tenet, niſi interueniſſet metus, qui poteſt cadere in conſtantem virum. Coactio autem abſoluta eſt, quando quis totaliter cogitur ad aliquid faciendum contra voluntatem eius, ſicut ille, qui ligatur, & huiuſmodi, de qua coactione habetur in cap. presbyteros. 56. diſtinct. ibi: Fugientes è manibus paganorum, ſi comprenſi, & coacti coactione violenta dæmonibus immolauerunt, nec peccauere, nec vllo modo puniendi ſunt: nec laici propter hoc debent à promotione repelli. Et talis coactio in omni materia excuſat, & de tali dicitur, Coacta voluntas non eſt voluntas, vt per Ang. verbo coactio. num. 3.

REGVLA LXXIX.

Communis error factus. l. Barbarius. ff. de offic. præt. l 3. ff de ſuppellect. leg. cap. veruntamen. 3. q. 7.

Declaratio.

Procedit, niſi communis error intollera-

rabilis eſſet aut nutriens peccatum, vt notat gloſſ. in c.ecce ego.in fi.95. diſt. & facit tex.in l. quod non ratione.ff.de l. Et propterea in c.alienationes. vbi Archid. 12.q.2. dicitur, quod ſi quis emat rem à prælato intruſo, quique nullum titulum a ſuperiori habuiſſet; licet communiter putaretur prælatus; non tamen iſte communis error facit contractum valere.

REGVLA LXXX.

Conditio videtur adimpleta, ex quo non remanet per eum, qui vult eam adimplere. l. dedi. §. fi. de condit. c. da. cau. non ſecu.

Declaratio.

Procedit, quando non remanet per eum qui commodum inde ſentit, ſed ſtat per eum, qui onus ſentire debet, vt in d.§.fi. & in l. iur. ciu. & ibi gloſſ. in verbo ſtipulator. ff. de condit. & demonſt. Vbi ſi promiſiſti mihi decem, ſi capitolium aſcendero, & tu promiſſor impedis me aſcendere, pro impleta habetur conditio. Secus autem eſt, ſi per caſum fortuitum conditio adimpleri non poſſit. quia pro impleta non habetur, vt in l.legatum. C. de condit. inſeru. vb.legatum relictum mulieri ſub conditione, ſi nupſerit filios eius; mortuo filio ante

te

Digitized by Google

te matrimonium, non debetur legatum, & conditio non habetur pro impleta; licet per eam mulierem non ſteterit.

REGVLA LXXXI.

Conſilium neceſſitatem non inducit. Vel leges de conſilio loquentes; non obligant. c. vlt. 14. q. 1. c. denique. §. hæc & ſi legibus. 4. diſt. cum ſimilib.

Declaratio.

Procedit in conſ. perfectionis: ſecus autem eſt in conſ. reuerentiæ, vt notac gloſſ. in c. ad aures. de ætate, & qualit. ordinan. Conſ. perfectionis eſt, quando materia non eſt neceſſitatiua, ſed lex conſuluit, quòd actus fiat, vt homines perfectiores reddantur. Huius conſilii exemplum eſt in c. paratus. 23. q. 1. vbi dicitur: Si quis percuſſerit te in vnam maxillam, præbe ei & alteram. Et hoc conſilium non obligat ad peccatum mortale, niſi ratione contēptus, vel niſi quis ſe obligaſſet ex voto ad id, quod eſt de conſilio, vt per Doct. in cap. 1. de conſt. Concilium autem reuerentiæ eſt, quando materia eſt neceſſitatiua, ſed lex vtitur verbo conſultiuo propter reuerentiam eius, cui loquitur. Exemplum huius conſilii habetur in cap. ad

aures.

Digitized by Google

aures.de ætat.& qual.ordin vbi cuidam Medico volenti promoueri ad ſacros Ordines, ſed habenti conſcientiam læſam, quod multi infirmi perierant propter ſuam culpam, conſulitur, quod abſtineat à ſacris Ordinibus. Exemplum etiam eſt in Cleme. 1. de teſti. vbi cum Reges, & Principes ſeculares priuilegia concederent Iudæis, ne per teſtes Chriſtianos conuinci poſſint Iudæi, & Saraceni, inquit tex. Reges eoſdem, & Principes in Domino exortamur, ne de cetero huiuſmodi priuilegia concedant. Ibi enim ſecundum And.Sy.in d. cap. 1. num. 78. materia eſt neceſſitatiua, ſex lex vtitur verbo conſultiuo, propter reuerentiam Principum, quibus loquitur, & tale conſilium reuerentiæ, ſicut dictum eſt, obligat, vt per Doct. in d.c.1. de conſt.

REGVLA LXXXII.

Conſuetudo eſt altera lex. c. cõſuetudo. 1. diſt.l.fi.de interpretatione.de l. l.2. C. quæ ſit longa conſuet. Imitatur. n.legem, & eius loco ſuccedit, vbi deficit lex, cap. cum veniſſent. 12.diſt.

Declaratio.

Procedit, quando iſta quatuor cõcurrunt, videlicet, quando eſt rationabilis, præ-

Digitized by Google

præſcripta, de ſcientia Principis inducta, & quando maior pars populi conſueuit illa conſuetudine vti, & hoc de iure ciuili. Verum de iure canonico ſufficit, quod ſit rationalis, & præſcripta, vt notat gl. in c. fruſtra. 8. diſt. in fi.

REGVLA LXXXIII.

Conſuetudo tollit legem. §. ex non ſcripto. inſtit. de iur. natur. gen. & ciuil. cum ſimilib.

Declaratio.

Procedit, quando conſuetudo eſt rationabilis, & præſcripta; alias non tollit legem, eidemq; præiudicare non poteſt, c. clerici. de iud. c. conſuetudines. 11. diſtin. Porrò ſi quæratur, quomodo conſuetudo poteſt eſſe rationabilis, cum ſit contra ius, quod ſimiliter eſt rationabile? Reſpondetur, quod quando conſuetudo aliquo bono fine inſtituitur dicitur eſſe rationabilis, licet ſi contra ius, quod ſimiliter eſt rationabile; quia illa vno reſpectu rationibilis eſt, iſtud alio reſpectu. Ius ſtatuit (exempli gratia) quod Epiſcopus tractet negotia cum conſilio Capituli cap. nouit. & c. quanto, de his quæ fit à prælat. & ratio eſt, quia firmius eſt conſilium plurimorum. Nam vbi conſilia multa, ibi ſalus multa c. prudentia, de offic. de leg.

ta-

tamen conſuetudo poteſt introducere contrarium c. non eſt de conſuet. lib. 6. quæ ſimiliter rationabilis erit, vt facilius videlicet expediantur negotia.

REGVLA LXXXIV.

Conſuetudo valet, vt canonici percipiant fructus, licet ſint abſentes. cap. cum omnis. extra de conſt.

Declaratio.

Procedit, quia agitur modico de præiudicio eccleſiæ. Vel quia ſeruiebant per ſubſtitutum. Vel quia conſuetudo erat approbata. Vel canonici erant abſentes ex iuſta cauſa, ſiue cauſa eccleſiæ argum. l. abſentia. ff. de reg. iur. Sed hodie per Conc. Trid. nulla eſſet talis conſuetudo, vt ſeſſ. 24. cap. 12. de refor.

REGVLA LXXXV.

Conſuetudo, quæ lædit eccleſiam, non valet. c. 1. de conſuet. authent. caſſa. C. de ſacroſan. eccl. c. clerici. de iudic.

Declaratio.

Procedit, quãdo multum eccleſia læditur: ſecus autem eſt ſi parum lædatur. Parum enim pro nihilo ſemper habetur. l. ſcio.

Digitized by Google

l. ſcio. C. de in intereſt. & dicitur infra regula: De modicis non eſt curādum. Et propterea Mant. in d. c. 1. dicit: quod conſuetudo poteſt induci, inductaque valebit, quod parochus in feſto Purificationis candelas benedictas ceræ nouæ laicis dare teneatur, quia modicum præiudicio talis conſuetudo eccleſiæ affert. Immo cum per eam animentur feruenter laici ad eccleſiar. atque diuini cultus deuotionem, amplectenda eſt, & ampliāda.

REGVLA LXXXVI.

Conſuetudo, & lex valet, vt eccleſia teneatur ad refectionē pontium, vel viarū. l. ad inſtruct. C. de ſacroſan. eccleſ.

Declaratio.

Procedit, quando facultates laicorum non ſufficiunt; quia tali caſu (Romano tamen Pontifice conſulto) eccleſia poteſt aliquid ſoluere c. aduerſus. de immun. eccl. Vel procedit de iure Codicis vel iure antiquo. Hodie tamen ſecundum Bart. in d. l. ad inſtructiones, lex illa corrigitur per authent. item nulla communitas. C. de epiſcop. & cler. vbi generaliter prohibetur, ne quis audeat ab eccleſijs exigere collectas, actiones, & angarias. & in d. c. aduerſus. & in ca. quamquam. & ibi gloſſ.

gloſſ. de cenſib. lib. 6. talia exigentes excommunicatione feriuntur.

REGVLA LXXXVII.

Contractus ex conuentione partium legem accipiunt. l. 1. §. ſi conuenerit. ff. depo. l. legem. C. de pact. cum ſimilib.

Declaratio.

Procedit, quando contractus ſunt legitimè facti, vt in d. l. 1. & l. iuriſgentiũ. §. prætor ait. ff. de pact. ſecus autem eſt, ſi conuentiones, & pacta ſint contra leges, & ſubſtantialia contractus l. pacta quæ contra. C. de pact. cum ſimil.

REGVLA LXXXVIII.

Contractus claudicare non debent. l. litigatores. ff. de arb. cum concordan.

Declaratio.

Procedit regulariter: aliquando tamen contractus claudicant ex cauſa. l. ſi conueniat. C. de pact. Vel procedit, vbi militat eadem ratio: ſed varietas perſonarum aliquando varium ius facit l. pen. C. de temp. in integr. reſtit. & facit tex. in l. ſi minor. §. minores. ff. de min. ibi. Si aliquis cum minori contraxit, reſcinditur, & annullatur contra-

ctus,

ctus, ſi minori expediat nunquam contraxiſſe. Sed ſi conditionem ſuam minor meliorem feciſſet, contr. tenet, & valet.

REGVLA LXXXIX.

Cui licet quod maius eſt, non debet, quod minus eſt, non licere. l non debet. ff. de regul. iur. l. Marcellus. ff. de don. cauſa mort.

Declaratio.

Procedit, niſi is, cui maius licet, à minori ex cauſa prohibeatur à lege, vt in l. illicitas. §. vniuerſas ff. de offi. præ. Ibi n. præſes prouinciæ pont. damnare in metallum, quod maius eſt, non poteſt deportare, quod minus eſt. Et in cap. primo, de torneamen. dicitur, quod vulnerato in torneamentis, ſi petat, pœnitentia non negatur; ſed ſi moriatur, denegatur ei eccleſiaſtica ſepultura.

REGVLA XC.

Damnari non valet, niſi aut conuictus, aut ſponte confeſſus. cap primo, 2 q. 1. C. tua. de cohabit. clerico.

Declaratio.

Procedit, niſi aliquis metu tormentorum aliquid confiteatur, dum eſt in tormentis tali enim confeſſioni non ſtatur,

tur, niſi poſt tormenta in confeſſione adhuc perſeueret. l. 1. § quæſtioni ff. de quæſt. & notat gloſſ. in d. cap. primo.

REGVLA XCI.

Datum ob cauſam, cauſa non ſecuta retractari poteſt. l. 3. §. ſed ſi tibi. ff. de cond. cau. da.

Declaratio.

Procedit, quando ſtat per eum, quì accepit: ſecus autem eſt, quando per eum non ſtetit, quia retractari non poteſt. d. §. ſed ſi tibi. ff. de cond. cau. data. ibi. Si dedi tibi pecuniam, vt intra certum tempus Stichum manumittas; ſi Stichus ante id tempus deceſſerit, non poſſum repetere, quod datum eſt, quia per te non ſtetit.

REGVLA XCII.

Deceptis, non autē decipiētibus, iura ſubueniunt. l. ſi mulier. ff. ad Velleianum.

Declaratio.

Procedit, quādo deceptio magna eſt, & conſiderabilis; ſecus autem ſi parua deceptio ſit, quia modica iniuſtitia non reddit contractum vitioſum, nec conſideratur in iure, vt infra dicetur, regula, de modicis non eſt curandum.

RE-

Digitized by Google

REGVLA XCIII.

De iis, qui foris ſunt, nihil ad nos, c. gaudemus de diuor. cum concor.

Declaratio.

Procedit, quo ad commercium habendum vel quo ad pænas eccleſiaſt. ſecus autem quo ad pænas temporales, quia talibus Iudæi, & alij infideles conſtringuuntur, & ſubiiciuntur, vt notant Doct. in d. c. gaudemus. de diuort.

REGVLA XCIV.

Delegatus ſubdelegare non poteſt. l. more maiorum. ff. de iuriſdic. omn. iud. l a Iudice. C. de iud.

Declaratio.

Procedit in delegato Iudicis inferioris; ſecus autem eſt in delegato Principis; quia ex cauſa ſubdelegare poteſt, c. quamuis, & ibi planè per Doct. extra de offic. deleg.

REGVLA XCV.

Delictum patris filio nocere non debet. l. adoptiuum, in fin. ff. de in ius vocan. l. ſancimus. C. de pæn. reg. delictum vnius alteri obeſſe non poteſt. de reg. iur. in 6.

Declaratio.

Procedit in acquiſitis; ſecus autem eſt in acquirendis. arg. c. fi. & ibi gloſſ. & Doct. 16. q. 6. Vel procedit niſi lex in pęnam patrum filios aliquando puniret: Magis enim puniuntur patres in filijs, quam in ſe ipſis, cum etiam eos plus ament. l. iſti quidem ff. quod metus cau. Et propterea dicit Goffred. in ſumma. tit. de fil. presb. quòd ſacerdotum filii non admittuntur ad ſacros ordines, & dignitates eccleſiaſticas ob deteſtationem criminis paterni, quod plerumque deteſtamur, in filiis, & punimus temporaliter. l. quiſquis, C. ad l. Iul. Maieſt.

REGVLA XCVI.

Deſtructo principali deſtruitur acceſſorium. l. 3. ff. pecu. l. §. ſi quis ancillas. inſtit. de leg.

Declaratio.

Procedit in coniunctis, & vbi militat eadem ratio: ſecus autem eſt in ſeparatis, & vbi ratio eſt diuerſa l. interpoſita. C. de tranſ. Et propterea Iaſo. in additionibus ad Por. in d. §. ſi quis ancillas. dicebat, quod ſi legam vaccam cum vitulo, ſi non valet legatum vaccæ, vt puta, ſi vacca ſit mortua (& ſic principali deſtructo) non valet nec legatum vituli, ideſt vitulus nõ debebitur,

cum

cum acceſſoriè veniat vitulus ad vaccam; Nam dictio cum, acceſſoriè coniungit. Sed ſi lego vaccam, & vitulum cum duo ſint ſeparata legata; quia dictio, & principaliter coniungit ſi non valet legatum vaccæ, vitulus tamen debebitur, cum tali caſu vitulus ad vaccam acceſſoriè non veniat.

REGVLA XCVII.

De duobus malis minus, eſt eligendum. l. quoties cũ ibi alleg. ff. de reg. iur.

Declaratio.

Procedit in malis pęnę, prout in damnis, periculis, & huiuſmodi: ſecus autem eſt in malis culpæ, hoc eſt in peccatis; quia nemo de malis culpæ etiam minimum eligere debet. Imò mortem potius quis deberet eligere, quàm minimum veniale peccatum committere, vt ait Sotus in 4. diſt. 22. q. 1. art. 4. ſed quamuis de duobus malis culpæ minus eligendum, aut committendum non ſit; minus tamen conſulendum eſt, & conſuli poteſt, poſtquam animum alicuius auertere non poſſumus aliter a malo perpetrando maiori. Et propterea dicit idem Scotus, quem refert, & ſequitur Io: Corradus in ſuis reſponſ. caſ. conſ. q. 1. Licuiſſe Loth. Gen. c. 19. ad diſſuadendum execrandum ſodomiæ ſcelus

conſulendo minus malum dicere: Nolite quæſo fratres mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, educam eas ad vos, abutimini eis ſicut vobis placuerit. Namque vt Arragona ait, qui conſulit minus malum non inducit ad illud, ſed remouet a maiori, quòd bonum eſt, & permiſſum; malum vero quod fit, tribuendum eſt facienti, & non conſulenti. Et Caietano in ſummula, verbo tyrannus, ait: Sanctè cõſulitur luxurioſo, vt non adulteretur, ſed fornicetur, hoc enim minus malum exiſtit.

REGVLA XCVIII.

De modicis non eſt curandum. l. ſcio. ff. in int. reſt. c. ad noſtram de reb. eccl. non alie. cum ſimil. Et ideò modicum damnum eccleſia ſuſtinere debet. c. bonæ. 12. q. 2. Pro modico non retractatur venditio. l. res bona ff. de contrahen. empt. Nec pro modico datur actio de dolo. l. ſi oleum. §. fin. ff. de dolo.

Declaratio.

Procedit, niſi modica eſſent eſſentialia, vel multa, quia multa modica faciunt vnum ſatis l. iuſtitia. C. de prob. Et facit illud: Quæ non proſunt ſingula, multa iuuant. d. l. iuſtitia. Et propterea Nau. in Man. c. 17. n. 139. dicit, quod qui minutatim, continuato tempore, & ſi,

& ſine magnis interuallis, furatus eſt rem notabilem, furando quid exiguum pro quaq; vice ad reſtitutionem tenetur; quamuis ſecus eſſet, ſi non cõtinuato tẽpore, ſed in magnis interuallis, puta vnius menſis, vel viginti dierum; rem notabilem furatus eſſet, accipiendo quid exiguum pro quaq; vice ſine animo perveniendo ad illam notabilẽ ſummã, quia reſtitutioni non eſſet obnoxius. Et in c. vnum §. ſi 25. diſt dicitur ebrietas, ſi aſſidua ſit, in peccatorum mortalium numerum computatur, cũ alias ebrietas ſit ſolum peccatum veniale, quando maximè non data opera quis in ipsã inciderit.

REGVLA XCIX.

Determinatio reſpiciens plura determinabilia, debet ea pariformiter determinare. l. nam hoc iure, ff. de vulg. & pup. l. quamuis C. de impub. & al. ſubſt.

Declaratio.

Procedit, quando determinabilia ex eodem fonte, atq; cauſa procedũt; ſecus verò eſt, quando ex diuerſis fontibus, & cauſis emanant, & quando determinandorum non eſt eadem ratio, vt plenè per Iaſonem, in dicta lege nam hoc iure, & in lege filiam cum fratribus. Codic. de collat. Et propterea

in d.l. filiam dicitur, quòd ſi cum fratribus ſuis cohæredibus, inteſtato patri filia ſuccedat, dotem ſuam conferre tenetur, relictum autem in codicillis non. Dotem enim ob id conferre tenetur, vt æqualitas inter ipſos fratres ſeruetur; relicta vero in codicillis ob id non tenetur conferre, quia collatio locum habet tantum inter ſuccedentes titulo vniuerſal. l. a patre. C de Collat. Cum itaque determinabilium non ſit par, eademque ratio, ideò nil mirum, ſi pariformiter non determinantur, vt per mantuam in d. l. filiam.

REGVLA C.

Dictum vnius dictum nullius appellat, l. iuſiurandum. C. de teſt:

Declaratio.

Procedit in teſte, qui aliquid deponit in facto, prout etiam colligitur ex verbis tituli illius, de teſtibus: Omnis enim iuris deciſ. intelligitur ſecundum rubricam, ſub qua ſituata eſt, vulg. Imperatur. ff. de die adie. ſecus vero eſt extra iudicium in aliqua perſona bonæ opinionis, & famæ. Et propterea Bald. & alii Doct. in l. de quibus. ff. de leg. dicunt, quod quando quis ſolemnis Doct. in ſuo comment. atteſtatur, aliquid, & dicit ſic eſſe de conſuetudine;

eſt

eſt plenè probata conſuetudo, & eius dict. ſtat arg. l. Theoponp. ff. de do. præleg. & infra dicetur, regula vox vnius.

REGVLA CI.

Dies interpellat pro homine. l. 2. C. de iure emphyt. cum ſuis concor.

Declaratio.

Procedit, quando dies appoſita eſt in contractu, & huiuſmodi; ſi verò dies non eſt appoſita, neq; alia conditio, neq; iuramentum, ſed neque petitio creditoris, debitor numquam exiſtit in mora: Quia vbi nulla petitio, ibi nulla mora dicitur fieri l. mora. ff. de vſu. & ſi res pereat, domino ſemper perit, vt plenius dicetur in regula, extincta re deb.

REGVLA CII.

Dignum eſt fraudem in ſuum auct. retorqueri. l. pen. C. de l. auth. hoc amplius. C. de fideicom.

Declaratio.

Procedit quando fraus eſt voluntaria, vt in dicta lege penultima, vbi Legatarius, qui teſtamentum ſurripuit, tanquam etiam indignus cadit à legato; & prout in dict. auth. hoc amplius, vbi hæres poſt iuſſum iudicis non exequens infra annum iuſtum teſtatoris

iudicium, priuatur hæreditate, quæ peruenit vel ad fideicommiſſarios, vel ad propinquiores, vel ad alios, prout in d. authen. in fi. ſecus autem ſi fraus non ſit voluntaria, voluntas enim, & propoſitum maleficia diſtinguunt. l. 1. C. ad l. Cor. de ſicar.

REGVLA CIII.

Dominus in re ſua quilibet eſt moderator, & arbiter. l. in re mandata, C. manda.

Declaratio.

Procedit regulariter: fallit autem in illis caſibus, in quibus a lege reſiſtitur, prout in teſtamentis, in donationibus, & huiuſmodi. Nemo enim de rebus ſuis in vltimis voluntatibus diſponere poteſt, niſi quantum lex ipſa concedit. toto tit. ff. & C. de teſt. & de donat.

REGVLA CIV.

Domum ſuam vnicuique reficere licet, inuito altero l. domum. ff. de reg. iur. l. in re mandata. C. manda.

Declaratio.

Procedit, dum tamen non officiat alteri ædificio, in quo ius non habet, vt dicitur, in d. l. domum, & infra dicetur, regula. Quilibet in re ſua eſt moderator, & arbiter.

RE-

REGVLA CV.

Donatio inter virum, & vxorem non val. l. 2. & 3. ff. de donat. inter vir. & vxor.

Declaratio.

Procedit in donatione inter viuos: fallit autem in donatione mortis cauſa, quia talis valet, & tenet. l. ſed interim. ff. eo. Item fallit, quando mulier donat marito ad aliquem honorem, & diguitatem conſequẽdam. l. quòd adipiſcendæ, ff. eo. Fallit etiam, quando Imperator aut Rex donat Imperatrici, vel Reginæ, & e contra. l. pen. C. eo. Et quando donator ob talem donationem pauperior non efficitur, vt latiùs per Nau. in ſuo Man. c 17. nu. 140. vel donatio a principio non valet; ſed ſi non reuocetur, morte confirmatur. l. donat. C. de don. inter vir. & vxor.

REGVLA CVI.

Duo contraria non poſſunt exiſtere in eodem ſubiecto. l. vbi repugnantia, ff. de reg. iur.

Declaratio.

Procedit ſimul, & eodẽ tempore, ac eodem ſubiecto, vt in dicta l. vbi repugnantia, vbi ſi quis eadẽ die duo teſtam:

Digitized by Google

ſecerit, & in vno relinquat Titio domũ in altero vero eandem domum reliquerit Meuio, neutrum teſtamentum valet. Secus autem eſt, ſi duo contraria in eodem ſubiecto diuerſo tempore exiſtant. Vel ſecundum Logicos, regula hæc procedit in habitibus moralibus; ſecus autem eſt in habitibus ſpeculatiuis. Vel procedit in concreto, & in realib. ſecus autem eſt in abſtracto & in imaginat.

REGVLA CVII.

Duo ſpecialia non poſſunt concurrere circa idem. l. 1. C de dot. promiſſ. c. ſing. 89. diſtinct.

Declaratio.

Procedit regulariter; fallit autem quando vnum venit in conſequentiam alterius. l. ſingularia. ff. ſi cer. pet ibi: ſi debitor meus mutuet alteri pecuniam nomine meo, ipſe etiam liberatur. Licet ergo duo ſpecialia concurrant circa idem, primum, vt pecunia nomine meo numerata mihi videatur ſoluta: ſecundum, vt videatur profecta de manu mea, ad manum eius, qui mutuum accepit: tamen quia vnum venit in conſequentiam alterius: ideò non obſtat. Vel procedit adhuc regulariter: fallit autem in caſibus a iure expreſſis, & privi-

Digitized by Google

uilegiatis, prout in dote, mutuò, & huiuſmodi, l.vlt. C ad velle. l.in rebus.C. de iure dotium.

REGVLA CVIII.

Dubia probatio non releuat probãtẽ. c.in præsẽtia,& ibi gl.& Doct.de prob.

Declaratio.

Procedit, quando probatio nihil concludit,vt in d.c. in præſentia, ibi: ſi filius inſtitutus hæres, & rogatus reſtituere hæreditatem, ſi ſine liberis deceſſerit, monaſterium intret,euaneſcit fideicommiſſum; quia non eſt dicendus ſine liberis decedere, qui monaſterium ſibi hæredem inſtituit. Nec ad inualidandũ ingreſſum ſufficit probare minorem ætatem tempore ingreſſus, ſi ex aduerſo probetur, quod bis monaſterio ſe, & ſua humiliter obtulit, & quod licet oblationis primæ tempore fuerit minor annis, & ſecundæ tamen potuit maior eſſe. Vnde cum illa probatio ſit dubia, nec concludat quo tempore minor erat, ideò probantem non releuat, & nullius eſt valoris; ſecus autem eſt, quando probatio neceſſario alterum duorum concludit, quorum alterum ſufficit, tunc enim releuat probantem, vt notat Abb. in d.c.in præſentia, ſecutus D.Ant.in c. quia plerumque de reſcript.

Digitized by Google

REGVLA CIX.

Ea, quæ fiunt vi, vel metu, per exceptionem regulariter irritantur. leg. metum. §. ſed quod. ff. quod met. cau.

Declaratio.

Procedit quando metus probabilis eſt, videlicet talis, qui cadere poteſt in conſtantem virum, vt eſt metus carceris, mortis, cruciatus corporis, ſtupri, ſeruitutis, & huiuſmodi. l. iſti quidem, ff. eo. Secus autem eſt ſi improbabilis metus ſit, videlicet talis, qui non cadit niſi in hominem puſillanimum, & formidoloſum, quia hic excuſat, neque vitiat contractum. cap. dilectus, de iis quæ vi, metuſue cauſ. fiunt. l. vani timoris. ff. de reg. iur. vel procedit, quando quis inducitur dolo, vi, aut metu, ad malè agendum, ſed actus, vi aut metu ad bonum tendens, factus, & præſertim in ſpiritualibus, non reſcinditur. c. diſciplina. 45. diſt. Vel, Metum paſſo regulariter, ſubuenitur; fallit autem, ſi culpa ſua quis inciderit in talem metum. Damnum enim, quod quis ſua culpa patitur, ſibi, non aliis imputare debet. c. damnum, de reg. iur. in ſexto.

RE-

REGVLA CX.

Ebrius, ſi deliquit, excuſatur. c. ſanè, & c. inebriauerunt. 17. q. 1. l. 3. C. ad l. Cornel. de ſicar.

Declaratio.

Procedit, quo ad delictum commiſſum per ebrietatem; punitur tamen de ebrietate ipſa, vt in dicto cap. inebriauerunt, ibi: Inebriauerunt Loth filiæ eius, & ſe neſcienti miſcuerunt, quapropter culpandus eſt quidem, non tamen quantum ille inceſtus, ſed quantum illa meretur ebrietas. Et in d. c. ſanè dicitur. Sanè diximus vitandam ebrietatem, per quam crimina cauere non poſſumus; namque ſobrii cauere, per ebrietatem ignorantes committimus. Et propterea dicunt Doctores, quod ebrietas aſſidua eſt peccatum mortale, non ratione iterationis actuum, hæc enim numquam facit ex veniale mortale ſed quia non poteſt quis aſſiduè inebriari, niſi volens, & ſciens, vel notabiliter negligens in cauendo. Ant. Nal. quæſt. prat. verbo ebrietas, in prin.

REGVLA CXI.

Eius eſt periculum, cuius eſt commodum

dum. l. ſuperuacuam. C. de temp. in integr. reſtit. inſt. de vſu §. 1.

Declaratio.

Procedit niſi quis teneatur cuſtodire rem neceſſitate muneris, vt patet in exercitore nauis, in caupone, ſtabulario, & huiuſmodi; Iſtorum enim eſt periculum rei amiſſæ, vel furto ablatæ in naui, vel in caupona, aut in ſtabulo, quamuis eorum commodum non ſit, §. item exercitor. inſt. de oblig quæ ex qua delict. naſc. Vel procedit, quando qui habet commodum, habet etiam dominium, quia in illis rebus, quorum dominium non tranſit in accipientem, vt ſunt res locatæ, commodatæ, & huiuſmodi: ea, quæ pereunt, regulariter ſuo domino pereunt, non autem ei, qui habet commodum nempè locatario, commodatario, & ſimilibus, niſi ſua culpa, vel dolo, vel facto iniuſto periiſſent, l. quod ſi dolo, ff. de rei vend. ſi merces. §. culpæ. ff. loca.

REGVLA CXII.

Eius eſt nolle, qui poteſt, & velle. l. 3 ff. de reg. iur. cum ibi alleg.

Declaratio.

Procedit ante contractum initum; ſecus vero eſt poſt initum contractum, quia

quia reſilire non licet, Ab initio enim contractus ſunt voluntatis ex poſtfacto neceſſitatis. l. ſicut ab initio. C. de act. & obl. & dictum eſt ſupra, regula, Ab init.

REGVLA CXIII.

Ea, quæ fiunt contra legem, pro inf. habentur l. non dubium. C. de legib.

Declaratio.

Procedit niſi ex conſuetudine ſubſiſtant. Conſuetudo enim eſt altera lex, interpretatur legem, & derogat legi toto tit. de conſul.

REGVLA CXIV.

Electio ius plenum tribuit electo. c. 1. §. nos itaque, de iur. iur.

Declaratio.

Procedit habitu, & potentia; ſecus autem eſt actu. c. quanto. 63. diſt. Donec enim electus a ſuperiore confirmatus non eſt, ius plenum habere non dicitur. c. poſtquam, & ibi Doct. de elect. Fieri autem confirmatio debet præmiſſa inquiſitione de vita, & morib. electi. Nihil enim eſt, quod magis eccleſię noceat, quam iſtud, quod indigni aſſumantur ad eccleſ. regimen. c. nihil, de elect. in 6.

Eſt

Digitized by Google

Eſt verum, ſi foret notus, quod alias examinat, opus non eſſet; nam quod patet expreſsè, probare non eſt neceſſe, vt tradit Bald conſ.370 col.2.vol.2.

REGVLA CXV.

Erubeſcimus quando ſine leg. loquimur illam. C.de collat. l. fin. C. de conſul.lib.12.

Declaratio.

Procedit, niſi allegaretur naturalis ratio: Quia ſufficit allegare naturalem rationem, etiam ſine lege.l.ſi ff.de pęn.

REGVLA CXVI.

Exemplis non eſt iudicandum, ſed leg. l. nemo. C de ſent. & interloc.omn. iud.

Declaratio.

Procedit in malis exemplis,& in practica erronea iudiciorum, vt per Archidiacon.in c.vlt.20. diſtin. & per Albericum in l.1.in fin.de ori. iur. Secus autem eſt,ſi exempla, ſeu conſuetudo,& practica iudiciorum,rationabilia ſint, quia talib.iudicatur, vt ait Decius in c. 1. de conſt.in dict.l.n.85.

RE-

REGVLA CXVII.

Ex eo non debet quis fructus conſequi, quod niſus eſt impugnare, c. ex eo. de reg. iur. in 6. l. Papinianus. §. meminiſſe. ff. de iud. offic. teſtam.

Declaratio.

Procedit, quando cum effectu, vel ſaltem quantum in eo fuit, quis niſus eſt, aliquid impugnare, vt in d. §. meminiſſe, vbi ſi aliquis impugnauit teſtamentum, dicens illud inofficioſum, & nullum eſſe; ſi improbè id dixerit, & ſuccubuerit, quicquid ex teſtamento capiebat, perdit; ſecus autem eſt, ſi ſimpliciter proteſtetur, vel ſi inciperet agere, aut excipere, & deſiſteret ante ſententiam, quia verba ſemper ſunt intelligenda cum effectu, c. relatum. de cler. non reſid. & not. gloſſ. in d. c. ex eo.

REGVLA CXVIII.

Ex nudo pacto non oritur actio. l. iuriſgen. §. ſed cum nulla. ff. de pact. cum ſimil.

Declaratio.

Procedit de iure ciuili: ſecus autē eſt de iure canon. c. 1. de pact. in 6. c. qualiter, & ibi Doct. de pact. Ius enim canonicum conſiderat ſolùm animæ ſalutem

Vnde

Vnde cum Deus non faciat differentiã inter ſimplicem loquelam, & ſolemnẽ. c.iuramenti.22.q.5.ideò non eſt mirũ, ſi ex nudo pacto de hoc iure oriatur actio. Et ad propoſitum dicebat Bal. conſ.114 ad fin.vol.5. quod ius canonicum non curat apices iuris, ſed ſubſtantiam fidei prmiſſæ ſic.

REGVLA CXIX.

Expedit Reipublicæ, vt delicta puniantur, l.ita vulneratus. ff. ad l. Aquil. c.vt famę. de ſent.excom.Bal. conſ.400 col,1.vol.1.quia, ſicut dicitur in c.eum qui de præb. in 6.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Declaratio.

Procedit in delictis grauibus, & atrocibus & in ijs, quæ probata ſunt per legitimos teſtes,per confeſſionem rei, vel per indicia, & præſumptiones violentas. c. 1.& 2.q.2.Vel procedit,dum tamen conſideretur qualitas perſonæ, quia aliter proceditur cum maioribus, quam cum minoribus; Varietas enim perſonarum varium ius ſemper facit. l. pen. C. de temp in integ. reſt. Item locus, quia conſuetudo loci in pœnis debet attendi c.cum olim.de cler. coniug. Item tempus;quia in mutatione Regni, & huiuſmodi, rigor iuris ſervari non

po-

poteſt, vt per Gloſſam in capitulo vltimo, de Tranſaction.

REGVLA CXX.

Extenſio de caſu ad caſum fieri non poteſt l. commodiſſimè. ff. de li. & poſth.

Declaratio.

Procedit, niſi eadem ratio inter eos adeſſet. arg. l. illud. ff. ad l. Aquil. Et propterea pęna ob vxoricidium, extenditur ad matricidium. Et pęna ob corruptionem ſerui extenditur ad eum, qui filium familias corrupit, cum inter hos eadem militet ratio; vt notat gloſſ. in l. ſi quis. C. de furt.

REGVLA CXXI.

Extincta re debita ante moram, periculum eſt creditoris, l. quod te. ff. ſi cert. peta. l. ſi Stichus ff. de verb obl. ibi: Si Stichus certo die dari promiſſus. ante diem moriatur, non tenetur promiſſ.

Declaratio.

Procedit, niſi dolo, lata culpa, vel facto iniuſto debitoris ante moram, res debita extincta ſit, l. ſi merces. §. culpæ. ff loca. ibi: Culpæ conductoris id enumeratur, ſi propter inimicitias eius vicinus arbores exciderit. l. quod ſi dolo. ff. de

ff. de rei vendicat. l. quod nerua. ff. depo. Vel procedit, niſi debitor teneatur cuſtodire rem neceſſitate muneris, vel ex conſuetudine, aut ex aliquo particulari ſtatuto. arg. §. item exercitor. Inſt. de qua ex quaſi delicto naſcun.

REGVLA CXXII.

Extincta re debita poſt moram periculum eſt debitoris. l. ſi quis ſolutioni, in fine ff. ſi cert. pet. cum ſimil.

Declaratio.

Procedit, niſi debitor poſt moram habeat iuſtam excuſationem dilationis. lege ſciendum. ff. de vſu. ibi: Debitor interpellatur dixit velle ſoluere: Sed petiit fideiuſſorem: res debita interea periit: debitor iſte non eſt in mora, quia iuſtam habet differendi cauſam, & iuſta dilatio liberat debitorem à mora. Gloſſ. notab. in l. vnica, ff. ſi quis ius dicen. non obtemper. Vel procedit, niſi res debita extincta, ſit poſt moram modici temporis, quia mora modici temporis non conſideratur in iure. l. ſi debitore. ff. de iud.

Digitized by Google

REGVLA CXXIII.

Facta infecta eſſe non poſſunt. l. in bello. §. fact. ff. de c. l. verum eſt ff. de reg. iur.

Declaratio.

Procedit, niſi aliquid contra leges, vel bonos mores fiat: quia pro infect. habetur. l. non dubium. C. de legi. l. pacta, quę contra. C. de pact. Paria ſunt enim aliquid non fieri vel illegitimè fieri, l. quoties, ff. qui ſatis cog.

REGVLA CXXIV.

Facta non pręſumuntur, niſi probentur. c. cum in iure de offic. de leg. c. cum Ioannes de fide inſtru.

Declaratio.

Procedit regulariter, & in dubio e fallit autem, ſi cauſa vrgens abſit aliquid præſumendi. cap. cum tu. de teſt. & notat Abb. in cap. in præſentia. extra de probat. Et propterea in dict. cap. cum in iure, iuncta ibi glo. in verb. ſuper mandato, dicitur, quod ſi aliquis delegatus mandet al cui ſic s Auctoritate qua fungor tibi ir go, vt Titium denuncies excommunicatum, & iſte, cui mandatur, de iuriſdictione illius dubitet, nec ſuper hoc fidē

fa-

faciat eidem; non tenetur exequi mandatum illius, neque eſt ei credendum, ſi dicat ſe delegatum, niſi de commiſſione conſtet. Nec ſimiliter ſententiæ delegati creditur, niſi commiſſio oſtendatur. Vnde ſi aliquis impetrauit a Principe cauſam committi alicui, vel delegari; ſi ſententia lata fuerit pro eo a delegato, ita benè cuſtodire debet commiſſionem, ſicut ipſam ſententiã: Lapſu enim temporis, ſi conueniretur, & oſtenderet ſententiam, ſine commiſſione, non valeret ei. Si tamen ſententia redacta eſt in publicam cartam, videtur, quod ſufficiat, & erit vrgens cauſa præſumendi reſcripti.

REGVLA CXXV.

Facultas probationum non eſt anguſtanda. l. quoniam, C. de hær. & c. quoniam, vt lite non conteſt.

Declaratio.

Procedit, quando non poſſunt haberi legitimi, & idonei teſtes: tali namq; caſu, ne facultas probationum anguſtetur, quilibet etiam hæreticus admittitur ad teſtificandum, non quidem ad plenam probationem, ſed ad ſemiplenam, vel aliqualem probationem faciendam. l. quoniam, C. de teſt. Secus autem, quando

do legitimi poſſunt teſtes haberi leg. apertiſſimi. C de iudic.

REGVLA CXXVI.

Fauorabiliores ſunt rei, quam actores. l. fauorabiliores. ff. de reg. iur. l. matrem. C. de probation.

Declaratio.

Procedit, in fine litis, vt in d. l. matrem, vbi ſi iudex ſit dubius, an pro reo vel pro actore ferre debeat ſententiam, in pari cauſa in fauorem rei ſententia ferri debet, & reus abſolui. ſed in principio litis magis fauemus actori, quàm reo; in medio autem æqualiter. l. de die, ff. qui ſatiſd. cog.

REGVLA CXXVII.

Fauorabiliores ſunt vltimæ voluntates contract. l. in teſtament. ff. de reg. iur. l. ſi cui. §. ſi vinum. ff. de tri. lega.

Declaratio.

Procedit, in caſibus a iure expreſſis, t in dicta leg. ſi cui, vbi ſi lego vina, & aſa videor legiſſe, ſine quibus vina are non poſſunt. Et dominium rei leatæ tranſit ad Legatarium poſt mortẽ eſtatoris etiam ſine traditione: Sed

do-

dominium rei venditæ, non vt per gl. in dicta lege in teſtamentis, quandoq; tamen vltimæ Voluntates, & contract. concurrunt, & adæquantur. l. quæ de legato primo.

REGVLA CXXVIII.

Fœminæ bonæ raræ ſunt, ſed malæ multę: Vel. Fęminę ſunt falſæ, fragiles, & corruptibiles. lege qui teſtamento. §. mulier. ff. de teſtamẽtis. Et propterea ſunt remotæ ab omnibus officijs publicis, vel ciuilibus. l. ſecunda, ff. de regulis iuris. Non poſſunt eſſe Iudices, l. cum prætor. §. non autem. ff. de iudic. Non poſſunt eſſe teſtes in teſtamento leg. ſin teſtamenta. §. mulier. ff. de teſtament.

Non poſſunt pro alio interuenire, vt puta fideiubendo, promittendo, & huiuſmodi. l. 1. ff. ad Senat. Conſult. Velleiani ſi Velleiano renuncient, prout renunciare poſsũt, ſicut ſupra fuit dictum in regula, Beneficio ſuo quilibet renunciare poteſt, & in crimin. non teſtificãtur, niſi in ſubſidiũ, & vt Iudex ei s eligat aliqualẽ pręſũpt. c. quoniam. de teſt.

Iſtis autẽ Regulis non video, quæ limitatio aſſignari poſſit; Sed cum multę ſint Regulæ, quę exceptiones non patiũtur, vt notat in gloſſ. in l. omnis definitio-

tio ff. de regulis iuris, & dicetur infra, in regula, omnis regula patitur exceptionẽ; hæ inter illas collocari poſſunt.

REGVLA CXXIX.

Filius ſpurius poteſt habere dignitates. l. ſpurii ff. de decur. cũ ſuis concord.

Declaratio.

Procedit in dignitatibus temporalibus, vt ſonant etiam verba tituli, de decurio. Secus aut eſt in dignitatibus eccleſiaſtic. c. 1. de fil. præsbyt. ibi: Filij presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati ad ſacerdotium non aſcendant, & prælationem nullatenus habeant. Dignitas enim, & excellentia clericalis, (vt ibi dicun. Doct.) turpibus perſonis committi non debet, l. neque famoſi. C. de infam.

REGVLA CXXX.

Filius etiamſi legitimus non poteſt habere beneficium paternum. c. ad extirpandas, de fil. presb.

Declaratio.

Procedit in beneficio eccleſiaſt: quis in Eccleſiis, & Eccleſiaſticis beneficiis ſucceſſio dari non debet. Dicto cap ad extirpandas ibi; Ad extirpandas ſucceſ-

 ſio-

ſione mandamus, quatenus ſi qui filii presbyterorum prouinciæ tuæ teneant eccleſias, in quibus patres eorum miniſtrauerunt, eos ſiue geniti ſint in ſacerdotio, ſiue non, ab iiſdem eccleſijs non differas amouere. Secus autem eſt in beneficio ſeculari. Vel procedit quando immediatè filius ſuccedit patri: ſecus autem, ſi non immediatè ſuccedat, d. c. ad extirpandas.

REGVLA CXXXI.

Factum vnius alteri obeſſe non debet. l. 1. C. res inter alios acta, tertio non præiudicat. l. quidam §. ſi quis filium. ff. ad Treb. cum ſimil.

Declaratio.

Procedit, niſi aliquid ad eum peruenerit, vt notat gl. in l. electio. § ſi abſente. de nox. Act. Vel procedit in acquiſitis; ſecus autem eſt in acquirendis, ſicut ſupra fuit dictum, regula, Alteri per alterũ non debet iniqua conditio inferri.

REGVLA CXXXII.

Falſa latinitas vitiat reſcriptum. c. ad audientiam, & ibi Doct. de reſcript.

Declaratio.

Procedit in reſcripto: fallit autem in teſta-

teſtamẽtis. Falſa enim latinitas Tabellionis non vitiat teſtamentum, dũmodo conſtet per ipſum de intentione teſtantis, vt l.in legatis.C.de l. Vel procedit regulariter: fallit autẽ, quando falſa latinitas ſaluatur, & ſaluari poteſt per figuram, vt notat Dec. in d. c.ad audientiam.

REGVLA CXXXIII.

Filij naturales excludunt ſubſtitutũ, l.ex facto. §. ſi quis rogatus. ff. ad Trebellian. Gloſſa, & Doctores in c.in præſentia. de probat. Vnde ſi teſtator dicat: inſtituo Titium hæredem omnium bonorum meorum & ſi deceſſerit ſine liberis, ſubſtituo Caium, ſi Titius moriatur ſine filiis legitimis, & naturalibus, ſed relictis filiis naturalibus tantum; iſti filij naturales excludunt Caium, & capiunt hæreditatem.

Declaratio.

Procedit, ſicut dicitur, in filiis naturalibus; ſecus autem eſt in ſpuriis, & vulgo quęſitis; tales enim ſubſtitutum non excludunt, vt notat Decius in dicto c. in præſentia. Vel procedit regulariter: fallit autem, ſi aliqua perſona conſtituta in dignitate, vel eccleſia, vel alius pius locus, ſubſtituti ſint: quia tales a naturalibus non excluduntur,

vt ibidem notant Doctores. Item fallit, ſi fęmina filia teſtatoris inſtituta ſit hęres, quia ſi deteſtat relictis filiis naturalibus tantum, non excluditur ſubſtitutus. Item fallit in legitimatis reſcripto Principis. arg. l. in fundo. ff. de rei vend.

REGVLA CXXXIV.

Filius ſpurius non poteſt ordinari. c. conſuluit. de ſe. ord. c. 1. de fil. presbyt. Dignitas enim, & excellentia clericalis, turpibus, & infamibus perſonis, quales ſunt ſpurii, committi non debet. c. inter dilectos, de exceſſ. Prælat. l. neq; famoſis. C. de infam. & tales etiam ſolent eſſe imitatores vitii paterni, iuxta illud: ſæpè ſolet filius ſimilis eſſe pat.

Declaratio.

Procedit, ſine diſpenſatione: ſecus autem eſt cum diſpenſatione ſummi Pontificis: ſummus namque Pontifex in iis, quæ iuris ſunt poſitiui, omnimodam poteſtatem habet, vt infra dicetur, regula Papa poteſt omnia.

REGVLA CXXXV.

Frangenti fidem, fidem frangi poteſ. l. ſi conuenerit. ff. pro ſoc. l. cum propo. nas. C. de pactis.

De-

Declaratio.

Procedit, niſi quis ex iuſta cauſa fidem frangere compulſus ſit. arg. l. vni. ff. de offi. conſu. vel procedit data paritate terminorum; Nam varietas perſonarum varium ius quoque facit. l. pen. C. de temp. in integr. reſtit.

REGVLA CXXXVI.

Frater fratrem accuſare non poteſt. l. ſi magnum. C. qui accuſar. non poſſ. & ratio eſt propter coniunctionem ſanguinis, quæ eſt immutabilis. Baldus in Rubrica. C. qui accuſ. non poſſ. Frater enim dicitur quaſi ferè alter.

Declaratio.

Procedit, in criminibus capitalibus, ſecus autẽ eſt in criminibus leuioribus vt in d. l. ſi magnũ, & ibi Salic. Vel procedit regulariter; fallit autem, quando ſuam, vel ſuorum iniuriam proſequitur, quia tunc frater admittitur, ſicut etiam mater, & ſoror. l. propter, l. ſi ſororem. C. eodem. Sic etiam clericus, qui ad vindictam publicam accuſare nõ debet, etiam in crimine leui. cap. ſicut Sacerdotes. 2. quæſt. 7. Poteſt tamen ſi ſuam proſequatur iniuriam, etiamſi

veniat imponenda pæna ſanguinis: dum tamen dicat, & proteſtetur, quod non intendit accuſare, vt pæna talis imponatur; quia ſi non proteſtaretur, fieret irregularis, ſi pæna ſanguinis imponeretur. c. prælatis, de homic. in 6. & notat Ang. in ſumma. verb. accuſatio, n. 3. & 4

REGVLA CXXXVII.

Forma illa eſt, quæ dat eſſe rei, & à qua actus denominatur. l. Iulianus. §. ſi quis. ff. ad exhib. & ideò omiſſio eius actum vitiat, quantumuis pium, vt infra dicetur, Regula, omiſſio formæ, &c.

Declaratio.

Procedit, niſi actus poſſit eſſe ſine illa forma, quia videtur forma quædam accidentalis, cuius omiſſio non vitiat actum, vt in d. re.

REGVLA CXXXVIII.

Generale dictum generaliter eſt intelligendum. l. de pretio. ff. de pub. in rem act. l. præſes. de offic. præſi.

Declaratio.

Procedit, niſi reſtringatur alio dicto ſpecialiter loquente. l. quæſitū. de teſti. Lex enim generaliter loquens reſtringi-

gi-

gitur per aliam legem ſpecialiter loquentem, vt notat gloſſ. d. l. de pretio.

REGVLA CXXXIX.

Generi per ſpeciem derogatur. l. in toto. ff. de reg. iur. l. ſeruis vrbanis. ff. de fun. inſtr.

Declaratio.

Procedit, niſi lex in aliquo caſu declaret, quod derogari non poſſit, vt l. legata, ff. de ſuppl. legata, ibi: Legatâ ſupellectili, cum ſpecies ex abundanti enumerari ſoleant, vel per imperitiam notarij; generali legato derogari non poteſt.

REGVLA CXL.

Gloſſæ opinio præualet communi opinioni. Dec. in c. 1. de conſt. in fin.

Declaratio.

Procedit, niſi gloſſ. auctoritatibus, & rationibus conuincatur, vt per Doctores in dicto capitulo.

REGVLA CXLI.

Grauatus in vno, in alio eſt ſubleuandus. l. eum qui, in princ. ff. de iu. iur.

Declaratio.

Procedit regulariter: fallit autem ſi vnum veniat in conſequentiam alterius, vt c. ab eo de ſequeſt. poſſ. & fruct. ibi: ſi ſententia lata ſit contra aliquẽ, & ab ea appellauerit, fructus poſſeſſionis, ſi diſſipentur, ab eo ſequeſtrari poſſunt.

REGVLA CXLII.

Graue eſt fidem fallere. l. 1. in princ. ff. de conſt. pec. Nihil enim eſt quod magis fulgeat in homine, quam recta fides, l. inter claras. C. de ſum. Trin. & fide cath. Et propterea in c. noli. 23. q. 1. dicitur; Etiam hoſti fides ſeruãda eſt, & Pſ. 88. dicebat Dauid. Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.

Declaratio.

Procedit regulariter; ſecus autem, ſi ex vrgenti, iuſta, & rationabili cauſa fides ſeruari non poſſit. arg. l. qui iurato. ff. qui ſatiſd. cogantur, ibi: Qui iurato promiſit iudicio ſiſti, non videtur periuraſſe, ſi ex conceſſa cauſa id deſeruerit. Et propterea in c. quemadmodū. de iureiur. vbi gl. dicitur, quod ſi quam promiſi in vxorem ducere, fornicata fuerit, non teneor ſeruare fidem, & promiſſionem. Vel procedit adhuc regulariter;

Digitized by Google

riter; fallit autem, ſi promiſſio ſit rei illicitæ, vel impoſſibilis, vel rei exiguæ, & parui momenti, quia talium nulla eſt obligatio, vt per Nau. in Man. c. 18. n. 7. vel procedit, niſi altera pars remittat, vel pro parte non impleat id, cuius cauſa promiſſio facta eſt, quia tunc ſuccedit regula, Frangenti fidẽ, fides frangatur eidem. l. cum proponas. C. de pact.

REGVLA CXLIII.

Geminatio actuum arguit voluntatem enixã. l 2. §. furioſus, ff. de iur. cod. Ang. per illum textum in l. in negotiis. ff. de reg. iur. Et propterea geminatio, & reiteratio vulnerum arguit omnimodam voluntatem occidendi. Alb. in l. etſi animi. ff. de adult. Et geminatio verborum in vltima voluntate arguit omnimodam voluntatem teſtatoris. Iaſ. in l. cunctos populos. n. 21. C. de ſum. Trinit.

Declaratio.

Procedit regulariter Fallit autẽ ſi ex aliqua cauſa vel reſpectu Argumentum huiuſmodi tollatur, Et propterea dicunt Doctores, quod geminatio vulnerum non argueret voluntatẽ determinatã occidẽdi, ſi per maximam iracundiã aliquẽ occidiſſet. Calor enim iracundiæ

excuſat homicidã a pæna leg. Cor. quia ſi quis prouocatus deliquit calore iracundiæ, ordinaria pæna homicidij non tenetur, ſed alia arbitrio iudicantis; cum dubium non ſit, quod ita breuis furor eſt, qui dum inordinatè concutit cor hominis ad inſaniam protrahit, vt l. ſi adulterium. §. Imperatores ff. de adul. Quæ quidem iracundia probari debet, quod fuit talis, quæ ipſum delinquentẽ a mente alienauerit, vt per Iac. Nou. in ſuo tract. ad def. n. mihi. 82. & 83.

REGVLA CXLIV.

Hæres, & defunctus dicuntur vna, & eadem perſona, §. 1. de iur. amo. præſti. l. fin. Cod. de impuber. Repræſentat enim hæres perſonam defuncti, & in eius ſuccedit ius, lege nihil autem, ff. de regulis iur. §. neceſſarius. inſtitut. de hæredum qualitat. & different.

Declaratio.

Procedit in caſibus illis, quæ hæreditatem reſpiciunt, vt in dict. §. neceſſarius, vbi hæres adeundo hæreditatem tenetur creditoribus hæreditariis, quantum tenebatur defunctus, & ſi vires hæreditariæ non ſufficiunt, de ſuo debet ſupplere; ſecus autem eſt generaliter, quia hæres non tenetur ex delicto defun-

functi in corporalibus pænis leg. ſancimus C. de pœnis. Quinimò hodie, ſi legitimo tempore,& forma, hæres confecerit inuentarium, non obligatur creditoribus, & legatariis, niſi quatenus vires hæreditariæ patiuntur, & de ſuo nihil reſarcire tenetur. l. fin C. de iure delibera. & notat Port. in dict. §. neceſſarius. In foro autem conſcientiæ, licæt hæres non fecerit inuentarium, tamen in conſcientia non tenebitur, niſi in quantum hæreditas ſe extendit, quã-uis ius aliter velit, quia præſumit plus eſſe in hæreditate, vt in Authentica de hæredit. & Falcid. notatur; in eo namque foro attendimus ſolum ad veritatem, & credendum eſt confiteri de omnibus, cum agatur ſolum de præiudicio ipſius animæ: ideò ſi veritas ſit contra præſumptionem legis, non attenditur lex, vt per Angelum in ſumma verbo lex, num. quarto.

REGVLA CXLV.

Hæres, & bonorum poſſeſſor æquiparantur. l. 2. §. de bonorum poſſeſſor. Sicut enim hæres adit hæreditatem cũ onere, & honore; ſic bonorum poſſeſſor l. 1. ff. de bon. poſſ. & ſicut in hærede habet locum ius accreſcendi, & ſucceſſorium edictũ, ſic etiã in bonorum poſ-

ſeſſore.d.l.2.& dictum fuit ſupra, regul. bonorum poſſ.

Declaratio.

Procedit in caſibus a iure expreſſi, vt in ſupradictis, differunt vero, quia hæres animo adit hæreditatem, priuatim acquirit ius, & ipſo iure: ſed bonorum poſſeſſor officium iudicis inuocat, & publicè declarat animum vt per Mynſing. inſt.de bon. poſſ.in tit.n.9.

REGVLA CXLVI.

Hæreditas non adita non tranſmittitur.l.vni.§.in nouiſſimo. C.de caduc. tol.l. quoniam. C. de iur. delib. Nemo enim plus iuris in alium transferre poteſt, quam ipſe habet.l.nemo poteſt. ff. de reg. iur. & non entium nullæ ſunt qualitates.l.eius qui in prouincia, ff. ſi certum pet.

Declaratio.

Procedit regulariter; fallit autem ſi hæres retardauit aditionem hæreditatis ex neceſſitate, vel propter aliquod iuſtum impedimentum, argumento eorum, quæ dicentur, infra, regula. Non valenti agere non currit præſcriptio. Et propterea in l. ſi quis in graui. §.eleganter. ff. ad Sylla. dicitur, quod ſi hæreditas non adita ſit propter impe-

pe-

pedimentum Senatuſconſulti, tranſmittitur ad hæredem, & perinde eſt, ac ſi adita fuiſſet.

REGVLA CXLVII.

Hæretici non poſſunt eſſe teſtes. leg. quoniam. C. de hær. Teſtes enim debent eſſe, maximè in criminalibus cauſis, omni exceptione maiores l. final. C. de prob. ſed tales ſunt hæretici, cum ſint damnati, infames & excommunicati. c. ad abolendam. de hæret. Et propterea Diuus Chryſoſtomus in Homilia 19. ſuper Matthæũ eos comparat ſimiis; ſicut enim ſimiæ imitantur homines, ſed tales non ſunt, immo prauæ beſtiæ: ſic Hæretici ſimulant eſſe ſancti, ſed tales non ſunt, immo lupi rapaces, & dæmones. Et Damaſcenus in libro tertio, de Fide Cath. tales appellat hydras, quia ſemper pullulant venenoſiſſima capita, & D. Gregorius Nazianzenus in oratione prima contra Iulianum Chamaleõti hos aſſimilat; ſicut enim Chamaleon transformat ſe in omnẽ colorẽ, præterquam in albũ, ſic hæretici omnẽ fidem accipiunt, præterquã veram, Catholicã, & Romanã. Quo fit, vt olim Dux Saſſoniæ, de quibuſdam ex eis dicere ſolitus erat: Neſcio quid hoc anno credant quid verò anno proximè futuro credituri ſint, vicini mei Vuittembergenſes,

Poſ-

Poſſuntque reuera gigantibus illis ſuperbiſſimis adæquari, qui turrim Babel ædificare volebant, Deus enim confundit labiis ipſorum, adeò quod ſe mutuo intelligere non poſſunt, & omnes diuersè loquuntur.

Declaratio.

Procedit regulariter: admittuntur tamen in defectum legitimorum teſtiū, non ad plenam probationem, ſed ad ſemiplenam, vel aliqualem præſumptionem faciendam, ne anguſtetur probationum facultas. dict. l. quoniam, & c. quoniam, vt lite non conteſtata.

REGVLA CXLVIII.

Homicidium caſuale non inducit irregularitatem. c. Ioannes, de homic. cum ſuis concor.

Declaratio.

Procedit quando ille, qui homicidium caſuale perpetrauit, dabat operam rei licitæ, vt in c. Ioannes, vbi talia ſunt verba; Ioannes ſacerdos humili nobis inſinuatione monſtrauit, quod cum pulſaret campanas, vt ſigno dato conueniret populus fidelium ad diuina, cadens tintinnabulum, percuſ-

ſit

ſit quendam puerum, qui cum vulnus eſſet mortale, deceſſit. Nos igitur attendentes, quod dicto ſacerdoti, qui dabat operam rei licitæ, nihil potuit imputari, ſi caſus omnes fortuitos non præuidit, Diſcretioni veſtræ mãdamus, quatenus ſi conſtiterit, ita eſſe, dictum ſacerdotem ſacerdotale officium exequi permittatis. Secus ergo eſt, quando quis dat operam rei illicitæ, vt colligitur ex dicto c. Ioannes, ſumpto argumento à contrario ſenſu, & facit text. non eſt ſine culpa. de reg. iur. in 6.

REGVLA CXLIX.

Homicidium caſuale de iure ciuili non punitur. l. abſentem. in fin. ff. de pæn. l. ſi putator. ff. ad l. Aquil.

Declaratio.

Procedit de iure ciuile, ſed de iure canonico inſpiciendum eſt, an homicida daret operam rei illicitæ, quia tali caſu irregularis efficitur, ſicut ſupra fuit dictum. Vel procedat, niſi culpa præcedat caſum, quia tunc punitur, non pæna mortis, ſed alia minori pęna, ſecundum culpam, arbitrio iudicantis. Et ideò, ſi curſu equi puer occidatur, currens non punitur pęna capitali, ſed alia mitiori, vt per Nouell. in Tractatu criminali. n. 8.

RE-

Digitized by Google

REGVLA CL.

Ignorantia facti excuſat, l.genero. ff. de his qui not. infa.l 1. ff. de iur.& fact. ignor.l.generali.C.de tabell.lib.10.

Declaratio.

Procedit ignorantia facti alieni:ſecus autem eſt ignorantia facti proprii, quia talis non excuſat,niſi ex iuſta, & probabili cauſa.l.ſed ſi putem.ff.de cōd.indeb. l.quamquam ff.ad Velle.vel ſecundum Bald.in d.l. genero,in princ. Ignorantia facti triplex eſt:Quædam publica, quādo cōmuniter omnes ignorāt factum, & iſta excuſat.l.ſemper.§ in hoc edicto. ff. quod vi,aut clam.Quædam priuata,ſed improbabilis , quia omnes ſciunt, & vnus ſe ignorare,dicit, & iſta non excuſat,c.quanto.de præſumpt.ibi: latere te in vicino non potuit, quod ad nos in lōginquo peruenit. & in c qualiter. eod. tit. dicitur.Aphrica verò qualiter mortalitate,& languoribus vexetur,quantò viciniores eſtis, credo , quod ſubtilius cognouiſtis : Vicini enim præſumuntur ſcire acta vicinorum , quando facta ſunt publica, vt inferius dicetur , regula vicini. Quædam, & vltimo loco eſt priuata probabilis, quando omnes adhuc faciunt, & vnus ignorat , eo quia fuit

ſuit abſens, vel alia iuſta de cauſa, & iſta excuſat. l. fi. ff de decre. ab ord. fac. & notatur in c. turbatur. §. notandum. 1. q. 4.

REGVLA CLI.

Ignorantia iuris neminem excuſat. l. iuris ignorantiam. C. qui admitti. l. 1. ff. de iur. & fact. ign. l. leges ſacratiſſimæ. C. de legi.

Declaratio.

Procedit regulariter; fallit autem in perſonis priuilegiatis, prout in minore, ruſtico mulieribus & huiuſmodi, in caſibus tamen a iure tantum expreſſis, vt declarat Baldus in l. cum allegas. col. 4. in princ. C. de vſuris. Vel procedit in iure claro: ſecus autem eſt in iur. aliquãtũ obſcuro vt per Ludo. de Beia, in reſ. caſ. conſc. caſ. 22. Vel procedit adhuc regulariter; fallit autẽ in materia fauorabili, & priuilegiata, vt ait: Nau. in Man. c. 16. n. 42. Et propterea maritus, qui fuit patrinus filii ſui, errore, aut ignorantia iuris, non perdit ius petendi debitum ab vxore, nec inter eos oritur ſpiritualis affinitas; quæ impediat huiuſmodi petitionem, quia matrimoniũ fauorabile eſt. Eſt tamen verum, quod ſi quis baptiz. filium, quẽ abortiuit amica eius, non poteſt exinde ducere in vxorẽ

illam

Digitized by Google

illam amicã, quia naſcitur cõpaternitas, & ſpiritualis affinitas, quæ ante matrimonium nata, illud impedit, & dirimit, ſecundum ipſum Nau. d. c. 16. num. 34.

REGVLA CLII.

Illius eſt interpretari, cuius eſt condere l. cum de nouo. C. de legi. gl. in l. non poſſunt. ff. eo.

Declaratio.

Procedit in ſubſidium, & quando non poteſt ex conſuetudine, & practica iudiciorum aliter haberi interpretatio legis; Secus autem ſi conſuetudo adſit, quæ eſt optima legũ interpret. l. ſi de interpretatione. ff. de legib. Secus autem, ſi conſuetudo adſit, quæ eſt optima legum interpres: l. ſi de interpretatione ff. de legib. Vel procedit, quando cõmodè Princeps adiri poteſt: ſecus autem eſt, ſi mora ſit periculum allatura; quia tali caſu inconſulto Principe, poteſt fieri interpretatio iuris a Iudice, vt notat Bart. & Dec. in rub. C. qui admit.

REGVLA CLIII.

Illud, quod fauore aliquorum introductum eſt, non debet ad eorum læſionẽ retorqueri. l. quod fauore C de legi.

De-

Declaratio.

Procedit, niſi aliquis in legem ipſam peccauerit, quia fruſtra inuocat auxilium legis qui in ipſam committit, prout in regula, Beneficium iuris, &c. vel procedit, niſi per ſe, & ſua culpa retorqueatur, quia tali caſu ſuccedit regula, Damnum, quod quis ſua culpa patitur, ſibi imputare debet. regula dãnum de reg. iur. in 6. & dicere illud poteſt.

Hęc patior telis vulnera facta meis.

Quapropter, licet dilationes, & termini introducti ſint in fauorem rei, vt rebus ſuis melius conſulere poſſit: retorquentur tamen ad eius læſionem, & faciunt vt præſumatur contra ipſum, quando nimiis dilationibus iudicium ſubterfuit, c. nullus de præſumpt.

REGVLA CLIV.

Imperator eſt ſolutus legibus. l. Princeps. ff. de leg. l. benè à Zenone. C. de quad. præſc.

Declaratio.

Procedit in legib. humanis, & ſimpliciter poſitiuis: Secus autem eſt in lege naturali & Diuina, talibus enim Imperator, & omnes Principes ſubiiciuntur, vt notant Doctores in cap. 1. de conſtit. Vel procedit, de neceſſitate: Secus autem;

rem, eſt de honeſtate, vt dicetur in Regula, Princeps.

REGVLA CLV.

Imperator eſt dominus totius mundi, l. deprecatio, ff. ad l. Rod. de iact. leg. bene a Zenone. C. de quadr. præſcr.

Declaratio.

Procedit de iure antiquo: Olim enim Imperator Romanus, idemq; Conſtãtinopolitanus maiori terrarum parti, ac ferè vniuerſo mundo legem dabat, vt videre eſt in princip. proœmii inſtitut. ciu. Hodie autem præpedientibus peccatis Imperatorum illorum qui a Sancta Romana Eccleſia, tanquam a tutiſſima Archa Noè, diſcedere, & exire voluerunt, translato in Germaniã Imperio, vix minori Europæ parti dominatur. Vel ſecundum Portiũ, in §. 1. inſt. de rerum diuiſion. Imperator eſt dominus totius mundi, quo ad protectionẽ, & defenſionem: Secus autem eſt, quo ad poteſtatem, & dominium.

REGVLA CLVI.

Incertitudo vitiat actum. l. duo ſunt Titii. ff. de Teſtament. tut. l. Tutor incertus. ff. eodem.

De-

Declaratio.

Procedit, quando actus eſt omninò incertus, vt in d. l. duo ſunt Titii, vbi talis eſt caſus, Duo erant Titii, pater, & filius; datus eſt tutor Titius, nec ex aliqua coniectura apparebat, de quo ſenſiſſet teſtator, actus iſte redditur nullus, & neuter eſt tutor: Secus autem eſt, quando actus non eſt omnino incertus, vt ibidem not. Doct.

REGVLA CLVII.

Incertitudo impedit condemnationem. l. idem Pomponius in fin. ff. de rei vend. Et propterea ſi aliquis ſit interfectus ab vno de tribus, & neſcitur a quo, tunc ratione incertitudinis omnes euadunt pęnam ordinariam homicidii: & inſuper nullus illorum irregularis cenſetur. Sanctius enim eſt nocentem damnare. l. abſentem, ff. de pęnis. Naldus in ſuis quæſt. pri. verbo irregularis.

Declaratio.

Procedit quando actus eſt omninò incertus, & in pænalibus, vt pæna, vel condemnatio euitetur, vt in d. l. Pomponius. Sed in aliis caſibus, ob incertitudinem rei aliquando ſortes mittuntur. l, quod ſi amba de iudic. Aliquan-

quando pars vtramque ſuccedit, vt in l. dum inter.C. de fideicom.liber. vbi relicta libertate poſthumo naſcituro, ſi duo ſimul naſcantur vno partu, ambo libertatem conſequentur. Et ſi præmiũ promittatur primo ingrediẽti caſtrum, & duo ſimul ingreſſi fuerint, vtrique præmium debetur pro æquali portione. Nald. in pract.quæſt. verbo filius n. 17. & aliquando habet locum officium iudicis, vt in l.inſtrumentis. Cod. com. vtr.iud.

REGVLA CLVIII.

Inferior non poteſt iudicare maiorem. c. cum inferior de maior. & obed. c.inferior. ſedes. 21.diſt.

Declaratio.

Procedit, niſi maior ſubiiceret ſe iuriſdictioni minoris, & ab eo iudicari vellet. c. nos ſi incompetenter. 2. q. 7. l.eſt receptum ff. de iuriſd.omn. iud. Id enim introductum eſt in fauorem maiorum, cui quilibet renunciare poteſt. c.ad Apoſtol.de regula.

REGVLA CLIX.

Incluſio vnius eſt alterius excluſio.l. cum prætor. ff. de iudic. cap.qualis. 25. diſtinct. Sic è contra, excluſio vnius eſt al-

alterius incluſio d.l. cum prętor. ff. de iudic. ibi. Cum prætor vnum ex pluribus iudicare vetat, cæteris id committere videtur.

Declaratio.

Procedit, niſi vnius, & alterius, eadẽ ſit ratio, vt notat gloſſ. in d. l. cum prætor, facitq; text. in l. non poſſunt. de legi. Vel procedit, niſi quid alia lege includatur, vt notant Doct. in d. l. cũ prætor.

Et ex his tollitur argumentum illud hæreticorum, aſſerentium opera ipſa ad ſalutem noſtram neceſſaria non eſſe, ſed ſolam fidem ſufficere: cum enim (inquiunt) Dominus in Euangelio dicat: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: faciatq; de fide tantum mentionem; ergo opera neceſſaria non ſunt, & excluduntur: ex his, inquam, tollitur leue, & ridiculum argumentũ iſtud; opera enim in multis Euangelii locis includuntur, & ad ſalutem neceſſaria eſſe oſtenduntur; Matthæus enim capitulo ſeptimo idem Saluator ait: Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, ſed qui facit, &c. eodem c. 3. Facite fructus dignos pęnitentiæ. eodem c. 25. Eſuriui, & dediſtis mihi, eſuriui, & non dediſtis mihi, & eodem c. vlt. euntes docete ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis, & in his, aliſq. multis

lo-

locis, quos breuitati ſtudens, omitto, vt in dicto c. 1. vbi ſi in contractu venditionis, vel locationis, Eccleſia fuit enormiter læſa, poteſt ad inſtar minoris aduerſum talem contractum petere reſtitutionem in integrum. Prælatus enim in faciendo, & in acquiſitis, conditionem Eccleſiæ deteriorem facere non poteſt, quamuis aliud ſit in omittendo, & in acquirendis. c. placuit. 16. q. 3. Fallit autem, quia minor præſcriptione temporis ſeruatur illæſus: Eccleſia autem præſcribit, & præſcribitur contra eam. vt per Goffred. in ſumma, tit. de reſtitut. in integr. cap. 3.

REGVLA CXCV.

Modus non curatur, dummodo effectum habeamus. l. ſi mater. C. de inſtit. & ſubſtitu. Nihil enim refert quid ex æquipollentibus fiat. d. l. mater. & ibi gloſſ. & l. Iul. ait. de condit. & demonſtr.

Declaratio.

Procedit, niſi modus ſit a lege reſtrictus, & limitatus, argum l. cum hi. §. ſi prætor. ff. de tranſact. Vel procedit, niſi ex variatione modi variaretur effectus, vt not. in dicta l. ſi mater.

RE-

REGVLA CLXI.

Indefinita legis oratio æquipollet vniuerſali.l.ſi pluribus,ff.de l. 2. notant Doct.in c.de eo. de temp.ord.

Declaratio.

Procedit regulariter, & in certis caſibus, prout in d.c. de eo. vbi cum indefinitè dicatur; vnum, aut duos, licitum eſt Epiſcopis dominicis, aliiſq; feſtiuis diebus ad ordines minores ordinare, hæc indefinita legis oratio æquipollet vniuerſali, & perinde eſt, ac ſi dictum eſſet. quoſcunq; &c. Aliquando tamen indefinita legis oratio æquipollet ſingularitati, quando maximè ſubiecta materia vnum tantum indiuiduum complectitur, vt videre eſt apud Port. in §.1.inſtit.de exhær.libero.

REGVLA CLXII.

Inuito nemini beneficium acquiritur.l.inuito.ff.de reg. iur. l. ex hoc iure. §.non poteſt ff.de donat,

Declaratio.

Procedit,quãdo beneficium acquiritur mihi ſoli, vt in dicto §. non poteſt, vbi dicitur; nõ poteſt libertas(id eſt donatio)nolẽti acquiri: Secus verò eſt quãdo

mihi, & alteri beneficium acquiritur, tali enim caſu. inuito beneficium datur. Vel proceditur regulariter, ſed in illis caſibus, qui reſpiciunt publicum bonum, & vtilitatem, vt excommunicatione, libertate, & huiuſmodi, ſemper inuito beneficium acquiritur, vt dictum eſt ſupra regul. beneficiũ, &c.

REGVLA CLXIII.

In ambiguis ſequimur, quod eſt minimum, c. in obſcuris, de reg. iur. in 6. l. ſemper in obſcuris ff. eo. l. apud Iulianũ §. ſcio. ff. de l. 1. c. ex parte de cenſi.

Declaratio.

Procedit, quando medium non eſt, vt in d. l. apud Iulianum. vbi legato fundo ſi duos fundos teſtator habebat, neque appareat, de quo fundo ſenſerit minimus debetur: ſed quando medium adeſt, in obſcuris media via eſt eligenda c. 1. de offi. cuſt. not. gl. in d. c. in obſcuris.

REGVLA CLXIV.

In contractibus innominatis locus eſt pęnitentię. l. ſi pecuniam. ff. de cond. cau. da.

De-

Digitized by Google

Declaratio.

Procedit regulariter: declaratur tamen, & excipitur in tranſactione, quæ licet ſit contractus innominatus, non datur tamen locus pænitentiæ. l. ſiue apud. C. de tranſ. Eſt autem tranſ. (vt & non ſtudentes legib. quod legunt, intelligant) de re dubia, & lite incerta nondùm finita, dato aliquo, promiſſo, vel retento, non gratuita pactio: & idem eſt, quod compoſitio inter aduerſarios: & litem intelligimus preſentem, vel futuram: quia etiam ante litẽ conteſtatã poteſt fieri tranſactio, vt l. eleganter. § ſi quis poſt. ff. de cond. ind. & habetur in vocabulario vtr. iur. verbo tranſactio.

REGVLA CLXV.

In dubio benignor interpretatio facienda eſt. c. vlt. de tranſac. l. ſemper. de reg. iur. l. Arrianus ff. de act. & oblig.

Declaratio.

Procedit, quando lex habet multiplicẽ, vel incertum intellectum, tali nãque caſu ſtandum eſt intellectui benigniori, vt dicitur in d. c. vlt. & licet Bart. leg. qui in ambiguo. ff. de rebus dub. dicat, legem habentem varios intellectus non poſſe allegari ad deciſionem cauſarum: hoc tamen non procedit, quando ex plu-

Digitized by Google

ribus intellectus vnus cæteris eſſe benignior quia illi ſemper eſt ſtandum, & ille dicitur intellectus benignior per quem receditur ab odio, & a pæna legis, promptiores enim ad abſoluendū, quam ad condēnandū ſemper eſſe debemus. c. non ſatis, 80. diſt. Verum ſi tractetur de ſalute animæ, atque eius immineat periculum, tunc illa dicetur interpretatio benignior, quæ tutior animæ eſt, vt per Abb. in c. cum tu. de teſti. & atteſtat. In dubio enim tutior pars eſt eligenda, c. ad audientiam, de homic.

REGVLA CLXVI.

In iudiciis debet ſeruari æqualitas. l. fi. C. de fruct. & lit. expen. cap. vlt. 3. q. 5. Nec facienda eſt exceptio perſonarum c. nouit. de iud. l. ſi cum dies. §. ſi arbiter, ff. de arb.

Declaratio.

Procedit, quando adeſt fauorabilis paritas; alioquin, vbi non eſt fauorabilis paritas, nec in iudiciis ſeruabitur æqualitas. Varietas enim perſonarum varium ius quoq; facit. l. pen. C. de temp. in integr. reſt. l. ſunt perſonæ. in fi. ff. de relig & ſump. fune. ibi; cum religioſis in iudicando mitius ſemper agitur: nā ſūma eſt ratio, quæ pro Religione facit.

RE-

REGVLA CLXVII.

In malis promiſſis nõn eſt fides ſeruãda.c.in malis promiſſis.c.nõ eſt obligatorium,de reg.iur.in 6.c.1.22.q.4.

Declaratio.

Procedit in malis promiſſis, quæ ſeruari non poſſunt ſine peccato mortali,vt in dict. c.1.ibi: Promiſi tibi quẽdam occidere, & caſu, quo ipſum non occiderem, tibi ſtipulanti promiſi, & iuraui ſoluere centum; non occidi illum, non potes agere contra me condictione ex ſtipulatu ad illa centum, quia tale promiſſum eſt malum,& tale iuramentum contra bonos eſt mores: Interdum etiam malè promiſſa, puta per dolum, vel metum ſeruantur, quando ſcilicet ſeruari poſſunt ſine ſalutis æternæ diſpendio, ſi maximè iuramentum interſit, vt notat gloſſ. in dicto cap. in malis.

REGVLA CLXVIII.

In pari delicto potior eſt pars poſſidẽtis.l.cum par delictum.ff.de regul.iur.c. in pari.eodẽ titulo, in ſexto. Et propterea acceptũ iniuſtè de volũtate dãtis,ita quod turpitudo verſetur ex vtraq; par-

Digitized by Google

te vt acceptum a Iudice, vt iniquã ſententiam ferat, & acceptum a meretrice propter meretricium actum, non eſt regulariter alicui reſtituendum, vt notat gloſ. in d. c. pari, & Nau. in Man. c. 17. n. 30. & 31.

Declaratio.

Procedit regulariter, fallit autem; quando aliquid per ſimoniacam prauitatem receptum eſt. Licet enim ex parte dantis, & ex parte accipientis turpitudo verſetur, non tamen hoc caſu potior eſt pars poſſidentis, ſed Eccleſiæ, vel pauperibus reſtitui debet: c. veniẽs, de ſimon. & notat gl. in d. c. in pari.

REGVLA CLXIX.

In pænis mitior pars eſt eligenda. c. in pænis, de reg. iur. in 6. c. odia. eo. tit. c. ex literis, de conſt. cum ſuis concord.

Declaratio.

Procedit regulariter, & in dubio, vt in d. c. ex literis, vbi quidam Doct Pariſienſ. fuit priuatus a collegio aliorum Doctorum; eo quod nolebat obedire ſtatutis, & fuit priuatus ſimpliciter, non dicendo in perpetuum vel quãdiu durat in illa inobedientia: Dubitatur ſi obedire velit, vtrum illa pæna ſit

per-

perpetua, vel temporalis, & reſpondetur, quod in dubio benignior eligitur pars, & temporalis cenſetur. Verum quando agitur de peccato, & de ſalute animæ, eiuſque periculum imminet, in dubio tutior pars eſt eligenda; c. ad audientiam. de homic.

REGVLA CLxX.

Iudex non debet impartiri officium ſuum non requiſitus. l. 4. §. hoc autem iudicium de damn. infect.

Declaratio.

Procedit regulariter, fallit autem, quando tractatur de publico bono, & vtilitate, l. congruit. ff. de offi. præſ. Et propterea in c. cauſam quæ. de iud. dicitur, quod iudex prouidere debet, vt debitæ ſolemnitates in iudiciis ſeruentur, ſine quibus iudicium redditur fruſtratorium, ne lites immortales exiſtãt; tali enim caſu de publica vtilitate tractatur: Quia expedit Reipublicæ ſubditos habere locupletes, eoſq; non vexari litibus, laboribus, & expenſis. §. ſed maior. inſt. de iis qui sũt ſui, vel alie. iu.

REGVLA CLXXI.

Iudex non poteſt iudicare, prout ſibi

videtur, l. ſi irruptione. ff. finium regundorum cum ſuis concor.

Declaratio.

Procedit, dummodo opinio ſua ſit regulata ſecundum leges,& iura c. 1. de conſt. Vel procedit, quando lex ſcripta non eſt, vel conſuetudo, & practica iudiciorum, & ſunt hinc inde opiniones probabiles, nec de vera, & communi conſtat; tali namque caſu poteſt iudex, prout ſibi videbitur, ſecundum ſuam conſcientiam iudicare, vt notat Abb. in d. c. 1.

REGVLA CLXXII.

Iudex non tenetur exprimere cauſam ſuæ ſententiæ. c. ſicut nobis c. cum Bertoldus. de re iud.

Declaratio.

Procedit de neceſſitate: ſecus autem eſt de honeſtate, & conſilio, vt notat gloſſ. in dicto c. ſicut & facit text. in c. in tantum,& ibi gl. 21. diſt. Cum enim Dioſcorus antiſtes Alexandrinus, vltra alia duo delicta auſus fuiſſet excommunicare Papam Leonem; Sancti Patres apud Chalcedonem congregati ipſum damnauerunt, & ſententiam excommunicationis contra ipſum tulerunt, in ipſaque ſententia cauſa excommunicationis exprimitur illis verbis;

Qui-

Quoniam ſecundis exceſſibus priorem iniquitatem valdé tranſcendit, præſumpſit enim, & excommunicationem dictare aduerſus ſanctiſſimum, & beatiſſimum Archiepiſcopum magnæ Romæ Leonem, &c.

REGVLA CLXXIII.

Iudex in cauſa propria, vel ſuorum, nemo poteſt eſſe. l. qui iuriſdictioni. ff. de iuriſdict. omn. iud.

Declaratio.

Procedit quando cauſa eſt principaliter propria; ſecus autem, ſi ſit ſecundario: arg. c. inſuper. de teſt.& atteſt a. Vel procedit in iuriſdictione contentioſa; fallit autem in voluntaria, vt ſupra fuit dictum in regula, Aliquis non poteſt.

REGVLA CLXXIV.

Iudicia debent carere ſuſpicione. leg. apertiſſimi. C. de iud. cap. inſinuante de præſump.

Declaratio.

Procedit, quando ſuſpicio rationabilis eſt, atque violentia vt in dicto capitulo inſinuante. de præſumption. ibi: Si iudex delegatus poteſt conteſtatam litem, ante diffinitiuam ſententiam, aliquem de iis, qui coram,

eo litigabant , in ſuum familiarem aſſumpſerit, recuſari poteſt ; cum res periculoſa ſit, & triſtiſſimus ſoleat euentus ſortiri, ſub iudice ſuſpecto litigare. d.l.turpiſſimi; Secus autem eſt, ſi ſuſpicio leuis exiſtat, vt ibidem notāt Doct.

REGVLA CLXXV.

Iuramentum regulatur ſecundum naturam actus, ſuper quo interponitur l.vlt.C.de non num.pecun.

Declaratio.

Procedit, quoad ſortiendam naturam actus ſuper quo interponitur :. Secus autem eſt, quoad validandā, auth.ſacramenta puberum. C. ſi aduerſus vend. iuramentum enim non augeat obligationem, eam tamen validiorem reddit. d.auth.ſacramenta publ.

REGULA CLxXUI.

Iuramentum præciſè obſeruandum eſt.c.ad noſtram. de iure iur. l. ſi pecuniam, vbi gloſ.de cond.ob cauſ. Quando enim iuratur, quaſi Deo teſte prōmittitur, vt inquit Anchar. cōſ.226 in princ.

Declaratio.

Procedit, niſi ſubſit cauſa, vt ab eo licitè recedi poſſit, quia in iuramento ineſt ta-

Digitized by Google

ineſt tacita conditio, ſi fieri poterit, vel rebus ſic ſtantibus l. qui iurato. ff. qui ſatiſd. cog. Et propterea in c. quemadmodum. de iure iu. dicitur quod ſi quis iurauerit ſe ducturum aliquam in vxorem, ſi illa poſtea fornicata ſit, eam ducere non tenetur, quia in illo iuramento talis debet conditio ſubintelligi, ſi illa contra legem deſponſationis non venerit. Vel procedit, niſi iuramentum ſit contra leges, & bonos mores, quia tale non eſt obligatorium. cap. non eſt obligatorium, de reg. iu. in 6. Vel procedit quando iuramentum ſinè vi, & dolo præſtitum eſt, ſeruarique poteſt ſine alterius præiudicio, & æternæ ſaluti diſpendio. c. cum contingant. de iur. iur. c. inter cætera. 22. q. 4.

REGVLA CLXXVII.

Laici Eccleſiaſtica negotia tractare non poſſunt. c. decernimus. de iud. c. bene quidem. 96. diſt.

Declaratio.

Procedit in iudicando, vt ſonat titulus ille, de iudicijs. Omnis enim iuris deciſio debet intelligi ſecundũ rubricã, ſub qua ſituata eſt, lege Imperator. ff. de in diem adiect. Vel procedit auctoritate propria: nam verbũ, preſumat in dicto c.

Digitized by Google

decernimus, arguit dolum, & temeritatem contrafacientis, ſecundum Abb. in dicto c. decernimus: Secus autem eſt, ſi de commiſſione ſuperioris, negotia eccleſiaſtica tractarent; vt notat Angel. in ſumma, verbo, Laicus in princ. Et propterea Decius in dicto c. decernimus, dicit, quod laicus poteſt eſſe æconomus generalis eccleſiæ in temporalibus. Item procurator, compromiſſarius, aſſeſſor Epiſcopi, conſiliarius, & huiuſmodi. Vicarius autem generalis non.

REGVLA CLXXVIII.

Laici oppido ſunt infeſti clericis, c. laicos. c. laici, 2. q. 7.

Declaratio.

Procedit in aliquibus, quorum oculi, vel ex inuidia, vel ex ſuggeſtione diabolica, vel etiam ex quadam hæreſi interna, & occulta excæcantur, ne illorum dignitatem videant, & agnoſcant; iuxta illud: Aegris oculis odioſa eſt lux, quæ puris eſt amabilis: Sunt tamen multi, qui dictum illud Saluatoris conſiderantes. Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit. Et illud Pſ. 104. Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.

Conſiderantes etiam, quod ſacerdo-

ſali

tali dignitate nulla maior. capitulo ſ
cauſam matrimonij, & ibi Doctores
de offic. delegat. quodq; non licet argu-
mentum ſumere a concreto ad abſtra-
ctum, quia non valet dicere, aliqui, vel
multi ſacerdotes ſunt mali; ergo ſacer-
dotium malum, cum multi quoq; re-
periantur boni: ſicut non valet dicere:
ex Duodecim Apoſtolis fuit vnus ini-
quus, & proditor; ergo Apoſtolatus
iniquus, vel vnus cum ſuis ſequacibus
præuaricatus eſt Angelus, ergo natura
Angelica praua; hęc, inquam conſide-
rantes, non ſolum clericis multi laici
infeſti non ſunt, ſed debitam illis re-
uerentiam exhibentes eos proſequun-
tur amore;

REGVLA CLXXIX.

Laicus contra clericum teſtis non
admittitur. capit. de cætero, de teſti. &
atteſtat. cap. cum P. Mancorella. de ac-
cuſ. c. 1. & 2 q 7.

Declaratio.

Procedit quo ad effectum plenæ
probationis: Secus autem eſt, quo ad
præſumptionem, vel ſemiplenam
probationem faciendam, capitulo ſi-
gnificaſti de Adulteriis. Vel proce-
dit; quando de crimine criminaliter
agitur; Secus verò eſt, ſi de crimine
eius.

ciuiliter agatur c. quoniam aliqua, & ibi Abbas de teſt. Vel procedit regulariter: fallit autē in criminibus exceptis vt eſt crimen ſimoniæ, hæreſis, & læſæ maieſtatis: quia in iſtis criminibus admittuntur laici ad teſtificandum & accuſandum. c. tanta, de ſimon. notatque Gloſſ. in dicto. c. cum. P. Manconella.

REGVLA CLXXX.

Lata culpa æquiparatur dolo. l. quod Nerua. ff. depo. l. Mulier. §. ſi hæres. ff. ad Trebell.

Declaratio.

Procedit regulariter, vel in caſibus expreſſis a iure, vt in dicta l. quod Nerua, vbi depoſitarius, qui non adhibuit eam diligentiam iure depoſita, quam adhibuit in ſua, tenetur ad æſtimationem rei depoſitæ amiſſæ, non ſecùs, ac ſi in dolo fuiſſet: fallit autem quando lex dolum requirit expreſsè, vt in adulterio, quod quidem reſpectu legis, & ad hoc, vt mulier priuetur dote: & fiat quo ad totum diuortium, non admittitur ſine dolo, licet fuerit, & interuenerit culpa. l. pen. ff. de adulter. & [illegible] Abb. conſ. 4. n. 3.

RE-

REGVLA CLXXXI.

Legata ad pias cauſas in teſtamento minus ſolemni relicta legatarijs debentur. c. relatum le primo, &c. cum eſſes. de teſt.

Declaratio.

Procedit in teſtamento minus ſolẽni, & imperfecto ratione ſolemnitatis, vt in d. c. relatum, vbi valet vltima voluntas ad pias cauſas coram duobus teſtibus nam ſeptem regulariter requirũtur. l. hæredes palam. §. penul. ff. de teſt. quamuis in teſtamento ruri facto etiam quinq; ſufficiant. Ang. verbo teſtamentũ n. 4 Fallit autem in teſtamento minus ſolemni, & imperfecto ratione voluntatis, vt per Nald. verb. legatum. n. 8.

REGVLA CLXXXII.

Leges concedere pertinet ad Principẽ. l. fi. C. de legi. l. 1 C. de vete. iu. enu.

Declaratio.

Procedit in lege communi, & vniuerſali; ſecus autem eſt in l. particulari, vel ſtatuto. §. ſed naturalia, inſtit. de iure nat. gent. & ciu.

Digitized by Google

REGVLA CLXXXIII.

Leuis ſolemnitas vitiat actum. l. 1. ff. de liber. & poſthum. cum ſimil.

Declaratio.

Procedit, quando leuis ſolemnitas, quæ omittitur, accidentalis eſt: ſecus autem, ſi eſſentialis illa ſit. l. Iulian. §. ſi quis. ff. ad exhib. Et propterea in d. l. 1. dicitur, quod ſi quis vnicum habeat filium, velitque exheredare illum, ſufficit ſi dicat: filius meus exhæres eſto, neque omiſſio nominis proprii vitiat exhæredationem, c. tali caſu ſolemnitas, quæ omittitur, ſit ſolemnitas quædam accidentalis, & leuis: ſecus ergo eſt, ſi nominatim filius neceſſariò exhæredari deberet, quod quidem eſt, quando plures filios quis habet, quia tali caſu nominatio perſonæ videtur ſolemnitas quædam eſſentialis, cuius omiſſio vitiat actum, vt in d. l. 1. & ibi Doct.

REGVLA CLXXXIV.

Lex generaliter loquens generaliter eſt intelligenda. l. de pretio. ff. de publici. in rem act.

Declaratio.

Procedit, niſi reſtringatur alia l. ſpecialiter loquente. l. in toto. ff. de regul. iur.

ſur. generi enim per ſpeciem derogatur. l. ſeruis vrbanis, ff. de fundo inſtructo; cum ſimilib.

REGVLA CLXXXV.

Lex poſitiua ſeruanda eſt in foro conſcientiæ, cap. quo iure. 8. diſt. & notant omnes in c. 1. de conſt.

Declaratio.

Procedit regulariter: fallit autem quando lex poſitiua diſtingueret inter forum contentioſum, & forum conſcientiæ, & vellet vnum ſeruari in vno foro, & aliud in alio, vt eſt text. in cap. tua nos de ſponſal. itē fallit in l. poſitiua iniuſta, vt per Angel. in ſumma, verbo lex. n. 3. Et propterea leges, quæ concedunt vſuras, & quę contrahentibus permittunt ſe inuicē decipere, vt eſt text. in l. cauſæ. 2. ff. de minor, & alię huiuſmodi non habent locum in foro conſcientiæ, vt in regula ſequēti dicetur. Item fallit, quando lex poſitiua ſe fundaret ſuper præſumptione: talis enim nō eſt ſeruāda in foro conſciētię, quando veritas eſt in contrarium, vt per Abb. in d. c. 1. n. 01 & per Ang. eod. n. 4. Et propterea licet hæres non fecerit inuentarium, tamen in conſcientia non tenebitur, niſi inquantum hæreditas ſe extendit, quāuis ius aliter velit, vt in auth. de hær. &

Fal-

Falcid. notatur. Item fallit in l. poſitiuâ pœnali: pæna enim a l poſitiua impoſita non eſt ſoluenda in foro conſcientiæ ante condemnationem eius, vt per gloſ. not. in c. fraternitas: 12. q 2. Poſtremò fallit, quando ratio legis ceſſat in foro conſcientiæ, vt notant Doct. in l. non dubium. C. de leg. & Ang. in ſua ſumma. d. n.4.

REGVLA CLXXXVI.

Licitum eſt contrahentibus ſe inuicem decipere, l. in cauſæ. 2. §. in pretio. ff. de minor. l. 3. de reſcind. vend.

Declaratio.

Procedit, quando fraus eſt citra dimidium iuſti pretij; quia tali caſu lex non concedit actionem decepto; ſecus verò eſt, quando fraus eſt vltra dimidium, dicta l. 2. Vel, ſecundum Sanctum Thom. 2. 2. q 77. a. 1. ad primum: hoc permiſſum eſt ab humanis legibus propter imperfectos, & ad tollendas litigiorum occaſiones: l: tamen diuina, iuſtè, & æqualiter omnia menſuranda eſſe perſpicuum eſt, prout paſſim in ſcripturis tam veteris, quàm noui teſtamẽti habetur. Sicut enim naturaliter nullus vellet, nec in quadrante decipi; ita nõ debet alteri ſimilia facere. Eſt verũ, quod

quod modica iniuſtitia non reddit contractum vitioſum etiam ſi ſimus in foro conſcientiæ, per ea, quæ dicta ſunt ſupra, in regula; De modicis non eſt curandum Et Baldus in rubric. C. de vſuris, dicit, quod omnis obligatio relatiua, & quilibet contractus bonæ fidei debet habere extrema æquipollentia, & ſubiungit, vel ſaltem quaſi æquipollentia, ad hoc, vt ſubſiſtere poſſit.

REGVLA CLXXXVII.

Lites debent celeriter terminari l. properandum C. de iudic. c. finem litibus, de dolo, & contumacia, c. iurgantium, de ſentent. & re iudic. Expedit enim Reipublicæ ſubditos habere locupletes, eoſque non vexari litibus, laboribus & expenſis §. ſed maior. inſtit. de iis, qui ſunt ſui, vel alien. iur.

Declaratio.

Procedit, quando iudex plenè eſt inſtructus; Iudex enim, vt dicit Abb. in d. c. iurgantium, debet accelerare expeditionem, ita tamen, vt iuris ordo non prætermittatur, & veritas non occultetur.

REGVLA CLXXXVIII.

Manifeſta probatione nõ indigẽt l. eã qui-

quidem.C.de accuſ.c. manifeſta.2.q.1. facitq;tritum, & vulgatum illud. Quod patet expreſsè probare non eſt neceſſe, vt per Bald.conſ.370.col. 2.vol.3.

Declaratio.

Procedit in manifeſto, ideſt notorio: ſecus autem eſt in manifeſto, id eſt, publico. Multa enim, (& iſta ſunt verba Mantuæ in c.conquærente.de fil.presb.) publica ſunt, quæ tamen vera ſemper vera non ſunt, iuxta illud: Vanæ voces populi non ſunt exaudiendę. Populus docendus eſt, non ſequendus. l. decurionum.C.de pęn. Notorium autem eſt, quod nulla tergiuerſatione celari poteſt, & iſtud, ſicut diximus, examinatione non indiget. Vel procedit regulariter; ſecus autem eſt ex abundanti, vel ad cautelam, prout notatur in d. l. ea quidem.

REGVLA CLXXXIX.

Maſculinum concipit fæmininum. l. l.1.ff.de verb.ſig.l.ſi ita ſcriptum. ff. de l.2.l.qui duos.l.ſeruis legatis.ff. de l.3.

Declaratio.

Procedit in materia fauorabili, vel indifferenti, vt in d.l.ſeruis legatis, vbi ſi lego ſeruos meos, & ancillas videor legaſſe, ſicut ſi lego omnia animalia

bo

bouina, & vaccina intelliguntur legata, ſecus autem in materia odioſa, & ſtricta, & præſertim ſi tractetur de irrationabili odio. c. odia de reg. iu. in 6. Et propterea ſi ſtatutum diceret, quod rebelles banniantur cum filiis ſuis, non comprehenderentur filiæ; Eſt enim odium irrationabile, quod quis puniatur ex alieno delicto. l. manumiſſis. C. de libe. & eo. liber. notatque Port. in §. ſi quis. inſtit. qui tut. dari poſſ.

REGVLA CXC.

Media via eſt eligenda. §. pen. inſtit. quibus ex cauſ. manumit. non licet. §. cum ex alien. inſtit. de rer. diu.

Declaratio.

Procedit, quando ius, vel ſententia non poteſt magis adaptari ad vnam partem, quam ad aliam, vt in d. §. cum ex aliena; ſecus autem ſi ius, vel ſententia adaptari poteſt, quia ſemper adaptari debet; alioquin diceretur, & reuera eſſet ſententia ruſticana. l. Neſennius, ff. de neg. geſt.

REGVLA CXCI.

Metus vitiat contractum. l. metum. ff. quod met. cau. l. præſes. C. de appell. cap. eius diſt. 5.

De-

Declaratio.

Procedit, quando aliquis per metum cogitur qui poteſt cadere inconſtantem virum, vt metus mortis, carceris, ſtupri, ſeruitutis, & huiuſmodi: fallit autem, quando metus talis non eſt, vel quando ſua culpa quis incidit in illum. l. ſi mulier ff. quod met. cau. vel procedit niſi nouus conſenſus interueniat, quia contractus tali caſu ſubſiſtit, vt notat gl in d.l. ſi mulier.

REGVLA CXCII.

Metus non reſcindit contractum. l. ſi mulier. ff. quod met. cau. c. 1. de except.

Declaratio.

Procedit, quando in culpa quis incidit in illum. Vel quando metus improbabilis eſt, & vanus, d. l. ſi mulier. & l. vani timoris non iuſta excuſatio eſt. ff. de reg. iur. Vel procedit ipſo iure, ſed ope exceptionis reſcinditur, vt not. in d. §. 2.

REGVLA CXCIII.

Minor eſt priuilegiat. l. 1. & tot. tit. ff. de mino. C. de in int. reſt. per tot. Subuenitur enim, & reſtituitur minor in venditione, donatione, tranſactione diuiſione, compromiſſo, & huiuſmodi: ſi ei

ei expediat numquam vendidiſſe, donaſſe, tranſegiſſe, diuiſiſſe, aut compromiſiſſe. l. ſi minor. §. minores. ff. de minor. Azo. in ſumma. titu. C. de in integr. reſtit. min.

Declaratio.

Procedit in caſibus iure expreſſis, & quoad ea, quæ geſta ſunt ab eo in minori ætate, videlicet ante 25. annum completum: Secus autem, ſi maior factus ratum habuerit; vel infra quadriẽnium non petierit reſtitutionem, vt l. 1. & 2. C. ſi maior ſacra hab. & l. ſuperuacuam. C. de tempo. in integr. reſt. Vel procedit, quando minor deceptus eſt in magna quantitate; ſecus autem, ſi in re modica, vel minima deceptus ſit, arg. l ſcio de in integr. reſt. Quæ autem dicatur res modica, vel minima, id iudicis arbitrio, vel arbitrio boni viri relinquitur: Quæ enim indefinita relinquuntur à lege, arbitrio boni viri ſunt definienda. c. de cauſis, de re iud.

REGVLA CXCIV.

Maior, & Eccleſia æquiparantur. c. 1 de in integ. reſt. l. fi. C. de ſacroſ. Eccleſ.

Declaratio.

Procedit, in caſibus a iu. expreſſis, v

in

in d. c. 1. vbi ſi in contractu venditionis, vel locationis. Eccleſia fuit enormiter læſa, poteſt ad inſtar minoris aduerſum talem contractum petere reſtitutionem in integrum. Prælatus enim in faciendo, & in acquiſitis, conditionem Eccleſiæ deteriorem facere non poteſt, quamuis aliud ſit in omittendo, & in acquirendis. cap. placuit. 16. q. 3. Fallit autem quia minor præſcriptione temporis ſeruatur illæſus. Eccleſia autem præſcribit, & præſcribitur contra eam, vt per Goffred. in ſumma. titul. de reſtitution. in integr. c. 3.

REGVLA CXCV.

Modus non curatur, dummodo effectum habeamus, l. ſi mater. C. de inſt. & ſubſtit. Nihil enim refert quid ex æquipollentibus fiat. d. l. ſi mater, & ibi gloſſ. & l. Iul. ait. de condit. & de monſtr.

Declaratio.

Procedit, niſi modus ſit a lege reſtrictus, & limitatus. argum. l. cum hi. §. ſi præter. ff. de tranſact. Vel procedit, niſi ex variatione modi variaretur effectus, vt not. in dicta l. ſi mater.

RE-

REGVLA CXCVI.

Mora ſua cuilibet eſt nociua. c. mor. de regul.iur.in 6.l.mora.de vſu. c. decimæ. 16. q.1.

Declaratio.

Procedit niſi iuſtè, & ex cauſa, quis fuerit in mora: Iuſta enim dilatio habet aliquam excuſationem & liberat debitorem a mora, vt ſupra fuit dictũ, regula, Extincta re debita, 2. Vel procedit, niſi mora ſit modici temporis; Mora enim modici temporis non conſideratur in iure. leg. ſi debitore, ff. de iud. Vel etiam procedit quando aliquis interpellatus eſt a die, vel ab homine, & habuit poſſibilitatem dandi: tunc enim mora eſt ſibi nociua, & ſi res debita periit, quamuis etiam caſu fortuito periiſſet, vt in dicto c. decimæ: Secus autem, quando quis non eſt interpellatus a die, vel ab homine: Quia vbi nulla petitio, ibi nulla mora dicitur fieri. l. nulla. ff. de reg. iur.

REGVLA CXCVII.

Mulier amittit dotem propter adulterium, cap. plerumque de donatione inter virum, & vxorem. Et ſi occidatur a marito in adulte-

terio deprehenſa, ignoſcitur marito quo ad pęnæ mitigationem, vt per gl. in c. inter hæc 33. q. 2. per l. Graccus. C. de adulter. quamuis de iure canonico, id ei non permittatur, & peccet mortaliter, vt in d. c. inter hæc, & cap. ſeq.

Declaratio.

Procedit, niſi mulier accuſet maritum, vel ei obiiciat de lenocinii crimine, ſicut ſupra fuit dictum in regula accuſat. Vel procedit, niſi eo tempore concubinam retineret vir; quia paria delicta mutua compenſatione tolluntur. l. viro ff. ſol. matr. notat Nouel. in ſua pract. crim. num. 8.

REGVLA CXCVIII.

Multa facta tenent, quæ facienda prohibentur. l. patre furioſo. ff. de iis, qui ſunt ſui, vel alie. iur. l. tutor. ff. de ſponſ. l. iudex. ff. de iud.

Declaratio.

Procedit. quando, principio actus non eſt omnino inualidus, vt in d. l. tutor, vbi pupillam ſuam non poteſt tutor in vxorem ducere: Si tamen ducat, matrimonium tenet: ſecus autem eſt, quando à principio actus omnino inualidus eſſet. argum. eius, qui in prouincia ff. ſi cer. pe. & l. quoties. C. qui ſatisd. cog.

RE-

Digitized by Google

REGVLA CXCIX.

Mutare opinionem quis poteſt. c. mutare de reg. iu. in 6. l. nemo poteſt. ff. eo. Quin potius, iuxta tritum illud. Sapientis eſt mutare propoſitum. Et propterea in Euang. Io. c. 11. dicet. Dominus Ieſus: Nonne duodecim horæ ſunt diei? Quaſi diceret: Mutato tempore, mutatur ſæpè voluntas.

Declaratio.

Procedit, niſi lex in aliquo caſu reſiſtat, vt in contractibus, ſententia, matrimonio, & huiuſmodi, l. ſicut ab initio. C. de act. & obli. Vel procedit, niſi mutetur in alterius præiudicium, & damnum, vt in d. c. mutare, & in d. l. nemo. reg. iur.

REGVLA CC.

Naturalia firma ſunt, & ſolida; neq; tolli, aut mutari poſſunt. §. ſed naturalia quidem inſtit. de iur. natur. gent. & ciu. c. 103. diſt. cum ſimil.

Declaratio.

Procedit in iis; quæ ſunt naturalia de iure naturali, & diuino; Secus autem in

ijs, quæ ſunt naturalia de iure poſitiuo, vt naturalia contractus, & huiuſmodi, qui tolli poſſunt ex conuentione partium. l. in emptione C. de pact. Vel procedit quoad eſſentiam, & ſui totalitatem: quo autem ad effectus extrinſecos, & in quibuſdam, ius naturale benè tolli poteſt, vt ſupra fuit dictum in regula, ciuilis obligatio ciuilia iura corrumpere poteſt, ſed naturalia non.

REGVLA CCI.

Nec ratio, nec tempus curari debet, dummodo effectum habeamus, nec aliud conſiderat lex. l. nomen filiarum. §. habere. ff. de verb. ſignif.

Declaratio.

Procedit, niſi tempus ſit limitatū a l. tunc enim licet tempus non ſit de ſubſtantia actus, eſt tamen de forma, qua non ſeruata actus dicitur nullus. leg. cum hi. §. ſi prætor. ff. de tranſact. Et propterea in c. cum quidam. de temp. ord. priuatur Epiſcopus poteſtate ordines conferendi, quia die quo non debuit, ordines celebrauit. Qui enim facit, quod non debet, eidem obuenit, quod non credit. c. niſi de offic. deleg.

Et, ſtultus in culpa, ſapiens in pęna fiet. d. c. niſi, & ibi: Bald. n. 2.

RE-

REGVLA CCII.

Neceſſitas nulli legi eſt ſubiecta. l. vni. ff. de offic. conſul. c. ſicut. de conſec. diſt. 1. Neceſſitate enim vrgente multa licent, quæ alias non licerent. c. diſcipulos, de conſecr. diſt. 5.

Declaratio.

Procedit, quando neceſſitas iuſta eſt, & grauis, vt in d. c. diſcipulos, vbi dicitur; Diſcipulos, cum per ſegetes tranſeundo vellerent ſpicas, & ederent, ipſius Chriſti vox innocentes vocet, quia coacti fame hoc fecerunt; ſecus autem eſt, quando neceſſitas non eſt talis, vt notatur in c. quod non eſt. de reg. iur. l. aliquando ff. de offic. proconſ.

REGVLA CCIII.

Neceſſitas non habet legem. l. aliquando. ff. de offic. proconſ. cap. ſi quis propter neceſſitatem de fur. cum ſuis concor. vt in reg. ſuperiori.

Declaratio.

Procedit, quando neceſſitas eſt extrema, vel adeò grauis, quæ iudicio boni viri ad id ſufficiat; Secus autem ſi talis non eſt, vt per Nauarr. in Manual. cap. 17. numero nono. Vel procedit, quando neceſſitas eſt ineuitabilis,

bilis, vt in cap. quia te. 50. d. vbi quidam Epiſcopus inter anguſtias, & iacula Saracenorum poſitus, vt periculũ euitaret, quoſdam interfecit ex illis, quæritur, vtrum ſit irregularis, reſpondet ſummus Pontifex, quod non, quia neceſſitate ineuitabili hoc fecit; ſecus ergo ſi talis non eſt.

REGVLA CCIV.

Negligentia vnius alteri noceri non debet. l. iniquiſſimum. ff. de iuris, & fact. igno. l. non debet. ff de reg. iur.

Declaratio.

Procedit regulariter; fallit autem quando acquiſitionis actus fundatus eſt in eo, qui negligit, vt notat Bald. in l. generali, n. 8. C. de Epiſc. & cler & facit text. in l. 1. & ibi Doctor. C. qui admitti. & l. contra iuris. §. ſi filius. ff. de pact. vbi negligentia filii non agnoſcentis bonorum poſſeſſionem intra tempus a lege ſtatutum, & ſibi, & parti nocet. Vel procedit in acquiſitis; ſecus autem eſt in acquirendis, c. placuit. 16. q. 3.

REGVLA CCV.

Nemo dat, quod nõ habet. Vel, Nemo plus iuris in alium trãsferre poteſt, quã ipſe

ipſe habeat, lege nemo poteſt. ff. de Regnl. Iur.

Declaratio.

Procedit, de per ſe; ſecus autem auctoritate legis, vt patet in iudice, qui dominium in alium per ſententiam transfert, quod tamen ipſe non habet. l.2.ff.ſi noxa.cau.aga.

REGVLA CCVI.

Nemo præſumitur fraudare eos, qui ſciunt, & conſentiunt.l.nemo ff. de reg. iur. Scienti enim, & conſentienti non fit iniuria, neque dolus.c. ſcienti. de reg. iur. in 6.

Declaratio.

Procedit, quando ſciens, & conſentiens liberè, & ſpontè conſentit: ſecus autem, quando neceſſitate impulſus aliquis conſenſum præſtat; in neceſſitate enim nemo liberalis dicitur. l. rem legatam. ff. de adimen. leg. Et propterea ille, qui accepit ad vſuram, quamuis in illam conſenſerit, præſumendum eſt tamen, quod neceſſitate oppreſſus id fecerit. Vnde vſurarius iuſtè ſe tueri, & excuſare non poteſt: ſed vſuras extortas omnino reſtituere debet.c.quoniam. de vſur.

REGVLA CCVII.

Nemo præſumitur immemor ſalutis ſuæ. fin. C. ad l. Iuliam repe.

Declaratio.

Procedit in dubio: ſecus autem eſt, quando contrarium conſtaret, vt in d. l. fi. ibi: Et licet neminem iuſiurandum contemnendo arbitremur immemorem ſalutis ſuæ; ſi tamen præhabita ſacramenta negligere quis auſus fuerit, quadrupli pęna feriatur, &c.

REGVLA CCVIII.

Nemo poteſt ad impoſſibile obligari. c. nemo poteſt. de reg. iur. in 6. l. impoſſibiliũ, nulla eſt obligatio. ff. de reg. iur. Vnde ab antiquis tales dantur verſus.

Vltra poſſe meũ non lex me iuſta coegit;
Nec putat eſſe reũ qui totũ poſſe peregit.

Et propterea ſi in contractu apponatur conditio impoſſibilis, talis conditio vitiat ipſo iure contractum, vt notat gloſ. in d. c. nemo, facitq. text. in l. ſi ſtipuler. de verb. obl.

Declaratio.

Procedit, quando quod promiſſum eſt, omninò impoſſibile exiſtit, vt in d.

l. ſi

l. ſi ſtipuler, vbi ſi dare promiſi, quod dari impoſſibile eſt; vel facere, quod impoſſibile eſt fieri, vt cælum aſcendere, vel digito tangere, non tenet promiſſio; ſecus autem ſi huiuſmodi promiſſio non ſit, vt per Doct. in d. l. ſi ſtipuler. Verum ſi tractetur de reſtitutione, & ſimus in foro conſcientiæ, dicitur reſtituere non poſſe, & per conſequens non teneri, & non ſolum qui eſt in extrema neceſſitate, & nullo modo poteſt; ſed etiam qui commodè non poteſt, vt per Nau. in ſuo Man. c. 17. n. 56. & facit text. in l. nepos proculo. ff. de ver. ſignif. Quod autem dicitur impoſſibilis conditio appoſita in contractu vitiat contractum procedit quidem ſicut dicitur, in ipſo contractu; ſed in teſtamentis, & in matrimonio ob ipſorum fauorem habetur pro non adiecta, vt in c. vlt. de cond. appo. & notat gloſſ. in d. c. nemo.

REGVLA CCIX.

Nemo tenetur cum ſuo danno alteri ſubuenire. l. ſeruandorum. ff. de præſcri. verb.

Declaratio.

Procedit regul. fallit autē, ſi tractetur de publica vtilitate argum. c. ſcias. 7. q. 1. vel procedit de iure ciuili: ſecus autē

eſt de iure canonico, & diuino: vnuſquiſq; enim ſecundum poſſibilitatem tenetur, & debet proximum ſubuenire, iuxta illud: Paſce fame morientem: Quiſquis enim paſcendo hominem ſeruare poteras, ſi non pauiſti, occidiſti. c. paſce. 86. diſt. Et propterea Dominus, & Saluator noſter in Euang. Matt. c. 25. ſub ſimilitudine illarum quinq. Virginum, quæ oleum ſecum non ſumpſerant in vaſis ſuis, Chriſtianis illis, qui opera miſericordiæ facere contempſerunt, in diem iudicii ſe dicturum minatur: Amen, Amē dico vobis, neſcio vos.

REGVLA CCX.

Nemo tenetur ex conſilio alteri præſtito. l 2. §. fin. ff. man §. mandatum. inſt. de mand.

Declaratio.

Procedit, niſi conſilium fraudolentum fuerit, l. quod ſi cum ſcires ff. de dolo ma. ibi; Quod ſi cum ſcires Titiū facultatibus labi, tui lucri gratia, affirmaſti mihi idoneum eſſe, meritò aduerſus te dolo iudicium dabitur. Vel procedit, niſi pro delicto perpetrando aliquis conſilium dederit. l. is, qui opē ff. de furt. Agentes enim, & conſentientes pari pęna puniuntur, nouemque modis quis dicitur conſentire, ſcilicet iuben-

bendo, conſulendo, laudando, &c. De quibus ſupra, regula eadem, Agentes.

REGVLA CCXI.

Nihil refert, quid ex æquipollentibus fiat. l. ſi mater. C. de inſt. l. Iulianus, ff. de cond. & demon.

Declaratio.

Procedit, in non deſiderantibus certam formam: Secus autem eſt in illis caſibus, qui certam formam deſiderant, arg. l. cum hi. §. ſi prætor. ff. de tranſact.

REGVLA CCXII.

Nihil eſt tam contrarium conſenſui, quam error. l. ſi per errorem. ff. de iuriſd. omn. iud.

Declaratio.

Procedit, in errore excuſabili, vt in d. l. ſi per errorem, vbi dicitur, ſi per errorem alius pro alio prætor a litigantibus aditus fuit, nihil valet, quod actum eſt coram eo. Secus verò eſt, quando error ineſcuſabilis eſt, vt in l. eum, qui. §. ſi iniuria. ff. de iniu. vbi ſi quis putans me Lucium Titium eſſe, cum ſim Gaius Seius, iniuriam mihi fecerit, iniuriarum actionem habeo; quia talis error inexcuſabilis eſt.

REGVLA CCXIII.

Nihil actum dicitur, quoties aliquid ſuper eſt agendum. l. fin. in fine. C. de his. quib. vt indi.

Declaratio.

Procedit, quando illud, quod ſupereſt, eſſentiale eſt, & ſubſtantiale; Secus autem ſi accidentale ſit, & parui momenti. Sicut enim paruitas rei in omni materia, ſemper excuſat, & non conſideratur, l. ſcio. de in integ. reſt. ſic leuis ſolemnitas non habet actum vitiare, quando maximè accidentalis exiſtit. l. 1. ff. de liber. & poſthum.

REGVLA CCXIV.

Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. l. non debet. ff. de reg. iur. c. tua nos de eo, qui cogn. conſang. vxor. ſuæ.

Declaratio.

Procedit, quando quis in culpa non fuit, vt in d. c. tua nos, vbi dicitur. Qui cum ſorore, vel alia conſanguinea legitimæ coniugis fornicatus eſt, non poteſt exinde ab vxore exigere debitum; requiſitus tamen, ſoluere poteſt, & debet; Cum affinitas poſt matrimonium iniquè contracta illi nocere

non

non debeat, quæ iniquitas particeps non exiſtit. Secus autem eſt, quando aliquis in culpa fuit, vt colligitur a contrario ſenſu, ex d.c.tua nos.

REGVLA CCXV.

Non dimittitur peccatum, niſi prius reſtituatur ablatum, ca. peccatum, de reg.iur.in ſexto.

Declaratio.

Procedit, quando ſubtractor habet facultatem reſtituendi: ſi autem eam non habeat quia inops eſt: ſi habeat propoſitum reſtituendi, cum peruenerit ad pinguiorem fortunam peccatum ei remittitur, vt notat gl.in d.c.peccatũ Vel procedit, niſi is, cui facienda eſt reſtitutio, liberaliter remitteret, & donaret: Quia ſatisfactum intelligitur qualitercunq; ſatisfiat. leg. item liberatus in princ.ff.quib.mo.pig.vel hyp. ſoluatur.

REGVLA CCXVI.

Non entium nullæ ſunt qualitates. l. eius, quin in prouincia.ff.ſi cert.pet.

Declaratio.

Procedit, in non ente, quod non habet aliquem effectum, & eſt penitus nullũ. Vel procedit, niſi non ens a l. habeatur

pro

pro ente, vt patet in poſthumo, qui hodie poteſt hæres creari, & inſtitui, ex quo enim tractatur de ſuo commodo, poſthumus pro iam nato habetur. leg. qui in vtero. ff. de ſtat.hom.

REGVLA CCXVII.

Non eſt ſine culpa, qui rei ſe immiſcet, quæ ad eum non pertinet, c. non eſt de regul.iur.in 6.c. tua. de homic. c. clerico.50.diſtinct.

Declaratio.

Procedit, quando ſciens, vel ſcire debens, & mala fide, ſe immiſcet, vt in d c.tua, vbi cum quidam monachus chirurgicus alicui infirmo dediſſet medicinam iuxta artem chirurgicam, & infirmus eſſet mortuus, monachus irregularitatem incurriſſe deciditur, quia immiſcuit ſe actui, non conuenienti ſuo ſtatui: cum ſciret, vel ſcire deberet, quod ars chirurgica clericis prohibita eſt, vt notat gl.in d.c.non eſt. Secus autem quando ignoranter, & bona fide, rei ad eum non pertinenti ſe immiſcuit. Ignorantia enim, & bona fides excuſant. l. generali.C.de tabel.lib. 10.

REGVLA CCXVIII.

Non licet actori, quod reo licitũ non

Digitized by Google

exiſtit.c.non licet de regul.iur.in 6.c. 2. 2.q.4.ibi Accuſatores, & accuſati æqua audiantur ratione.

Declaratio.

Procedit regulariter; Fauorabilior eſt tamen reus, quàm actor, quia maiores habet dilationes.l.vlt.ff.de fer.& magis punitur contumacia actoris, quàm rei, vt notat glo.in d.cap.non licet.

REGVLA CCXIX.

Non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum, cap. non præſtat.de reg.iur.in ſexto c. verum 31. q.2.ibi: Titius contraxit matrimonium cum Berta conſanguinea ſua, obſtante impedimento, poſtea contraxit cum alia, in qua non erat impedimentum: vtrum valeat iſtud ſecundum matrimonium, quæritur: & reſpondetur quod ſic, neque primum matrimonium obſtat, quia fuit nullum, & de iure non eſt ſortitum effectum.

Declaratio.

Procedit, niſi in pęnam aliquibus aliquid prohibeatur. Vnde maleficia, licet effectum non ſortiantur a iure, præſtant tamen impedimentum promo-

Digitized by Google

mouendis, & interdum matrimonio contrahendo. c. 1. & 2. 50. diſt. & notat gloſſ. in d.c. non præſtat.

REGVLA CCXX.

Non valēti agere non currit præſcriptio. l. 1 & ibi: Doct. C. qui admitti. arg. l. abſentia. ff. de reg. iur. Et propterea Eccleſiæ non currit præſcriptio, quando nullum habet prælatum, vel habet inutilem ad agendum, vt quia excommunicatus, ſuſpeſus, vel captiuus eſt: c. quia diuerſitatem. de conceſ. præb. quamuis ſecus eſſet ſi prælatum, & non inutilem haberet, quia & ipſi Eccleſiæ in rebus immobilibus præſcriptio currit quadraginta annorum. c. de quarta. de præſcrip. Pupillo ſimiliter, durante pupillari ætate, præſcriptio non currit, l. ſicut. C. de præſcrip. 30. annorum.

Sic tempore hoſtilitatis, & peſtilentiæ, quando ius reddi non poteſt vel quando aliquis fugit ab aliquo loco ex timore, & non potuit agere, præſcriptio non currit, neque nocet, vt notat Bart. in l. naturaliter. de vſu. cap. & Angelus in ſumma, verbo, Præſcriptio. n. 31.

Declaratio.

Procedit, niſi impedimentum illius, qui non valet agere, continuum eſſet. Vel, niſi culpa præceſſerit, vel, niſi per me-

meipſum poſſim impedimentum auferre, vt per Doctores in d.l.1.

REGVLA CCXXI.

Obligatio naturalis tantum, vel ciuilis tantum non producit actionem. l. iuriſgentium.ff.de pact.l.ſi.§.vnus.pact. ff. eod.

Declaratio.

Procedit, de iure ciuili: ſecus autem eſt de iur. canonico.c. 1.de pact. c. iuramenti. 22. q. 5. Vel quamuis obligatio naturalis ſola non ſufficiat ad producendam actionem : ſufficit tamen ad iam productam conſervandã; ſicut ex ſola ciuili non conceditur actio,attamẽ iam enata conſeruatur, vt per Mynſinger.in §.item ſi.inſt.de except.n.5.

REGVLA CCXXII.

Oculis magis, quàm auribus credendum eſt;§.fin.inſtit.de gradi.cogn.gl. in l.in ſumma S.idem Labeo.2. ff. de aqua pluuia. arc. facitque vulgatum illud. Certior aure arbiter eſt oculus.

Declaratio.

Procedit in Teſte; Teſtis enim magis probat, quando dicit; Scio, quia vidi, quã dicendo:Scio,quia audiui a multis, quod

Digitized by Google

quod verberauit talem, & huiuſmodi. Quinimo teſtimonium de auditu nõ eſt propriè teſtimonium, niſi in materia auditui ſubiecta, vt notat gloſſ. in d. §. idem Labeo, & facit text. in c. teſtes, 3. q. 9. Vel procedit in purè naturalibus, & in iis, quæ ſubiecta ſunt ſenſibus: ſed in ſupernaturalibus, & in iis, quæ ſunt fidei, auribus magis, quam oculis credendum eſt. Debemus enim certiores eſſe, quod vera ſint ea, quæ de rebus fidei audimus, aut legimus, quam ſi ipſamet oculis videremus propriis. Auditus enim in hoc numquam decipi poteſt, ſed viſus aliquando ſic, vt tradunt Theologi in l. 3. Sententiarum diſt. 23.

REGVLA CCXXIII.

Odia ſunt reſtringenda, & fauores conuenit ampliari. c. odia. de regu. iur. in ſexto. c. quædam lex. §. quod ſcripſi. 35. q. 3. cap. tua. de decim.

Declaratio.

Procedit quando aliquid eſt omninò odioſum, vt in d. c. tua, ibi: Decimæ alicuius loci fuerunt laico conceſſæ in feudum; erant aliquæ terræ ſteriles, quę poſtea fuerunt redactæ ad agriculturam, & ſic fuerunt facta noualia: Laicus volebat percipere decimas in iſtis noualibus, & deciditur, quod non poteſt,

teſt, ſed ſolum percipiet decimas in terris, quæ erant arabiles tempore infeudationis, non autem in terris de nouo redactis ad agriculturam, quia iſtud priuilegium eſt reſtringendum, cum ſit odioſum omninò. Secus autem eſt, quando aliquid pro vna parte eſt odioſum, pro altera autem fauorabile, quia tunc reſtringi non debet, ſed potiùs ampliari. Exemplū eſt in c. ſi quis ſuadeat ei. 17. q. 4. Non ſolum enim manus violentas in clericum inferens, vt dicit ibi text. excommunicatus eſt: ſed etiam ratam habens percuſſionem, & non obſtans, cum commodè poſſit; vt per Nau. in Man. c. 24. n. 20.

REGVLA CCXXIV.

Officia promiſcuis rerum actibus perturbari non debent. l. conſulta dualia. C. de teſtament. c. nouit. de iud. cap. nullus de paroch. Non æque enim conuenit, quod quis ponat facem in meſſem alienam l. fi. ff. de iuriſd. omn. Iud. Indecorumque eſt, ſi vnum membrum velit alterius membri officio fungi. c. 1. 89. diſt.

Declaratio.

Procedit, quando officia perturbātur a ſubditis, vt in dicto c. nullus, vbi Epiſ-

co-

copus parochianum alterius, ſine ipſius licentia ordinare non poteſt, nec eum aliter iudicare, niſi eò domicilium tranſtulerit: Secus autem eſt, ſi ex cauſa a Principe, vel a lege perturbentur. arg. c. venientes de iureiur. & l. principes. ff. de legi. facitque text. in c. cum P. tabellio de fid. inſtrum.

REGVLA CCXXV.

Officium ſuum nemini debet eſſe dannoſum. l. ſi communis ſeruus. §. quod verò. ff. de adul. l. videlicet. ff. ex quib. cau. maio. cum ſimil.

Declaratio.

Procedit, quando damnum notabile, & magnum eſt; ſecus autem ſi paruum dannũ exiſtat; quia paruitas rei attendi, & conſiderari non debet: quinimo parum pro nihilo reputatur. l. ſcio. de integr. reſtit. cum ſimilib.

REGVLA CCXXVI.

Officium ſuum nemini debet eſſe damnoſum. l. ſi communis ſeruus §. quod verò. ff. de adul. cum ſim. vt in regula ſuperiori.

Declaratio.

Procedit regulariter, fallit autem, quan-

quando aliquis eſt in dolo, vel in lata culpa, quæ dolo æquiparatur. leg. quod nerua. ff. depo. Et propterea depoſitarius, qui non adhibuit, eam diligentiam in re depoſita, quam adhibuit in ſua, tenetur ad æſtimationem rei depoſitæ amiſſæ, non ſecus ac ſi in dolo fuiſſet, vt in dicta leg. quod nerua. verum ſi res ſit amiſſa ob culpam leuem, vel leuiſſimam depoſitarij; ipſe non tenetur ad æſtimationem rei, ſi depoſitum factum ſit in gratiam deponentis & nullam vtilitatem ex eo depoſito habet: ſecus autem ſi factum, ſit in gratiā depoſitarii, & vtilitatem conſequatur, quia teneretur de culpa leui, vel leuiſſima, vt per Viu. in cōm. opin. opin. 70.

REGVLA CCXXVII.

Omnis regula patitur exceptionem l. omnis definitio. ff. de reg. iur.

Declaratio.

Procedit in illis Regulis, quæ ſub eo titulo poſitæ ſunt & in multis aliis, prout paſſim videre eſt in hoc Opuſculo noſtro: Secus autem eſt in omnibus. Et propterea dicitur in dicta lege omnis definitio, Parum eſt enim, &c. Quædam enim ſunt Regulæ, quæ exceptiones non patiuntur, vt illa: Fęminæ bonę raræ ſunt, ſed malæ multæ. Et illa; Inci-

Inciuile eſt de l. iudicare, niſi tota perſpecta, atq; illa: Allegare inconueniens non eſt ſoluere legem, ac illa: ſufficit ſi in paucis, amici laboribus conſulamus: nec non illa; De liquido ad non liquidum non fit compenſatio, & Impubes teſtari non poteſt, vt ſuis vulga. iu. cum multis aliis, de quibus per gloſ. in d l. omnis defin.

REGVLA CCXXVIII.

Omiſſio formæ actum vitiat quantumuis pium. l. cum hi. §. ſi prætor. ff. de tranſact.

Declaratio.

Procedit, quando omittitur forma eſſentialis, & neceſſaria, vt in d. §. ſi prętor. vbi dicitur: Non tenet decretum prætoris, interpoſito ex abrupto, ideſt non adhibita cauſæ cognitione, quæ eſt de forma, & ſubſtantia decreti: ſecus autem eſt, ſi actus poſſit ſubſiſtere ſine illa forma, quia videtur forma accidentalis, cuius omiſſio non vitiat actum l. 1. ff. de liber. & poſthum.

REGVLA CCXXIX.

Omnis receſſus à iure communi eſt odioſus, & ideò reſtringendus c. 1. & 2. d fil. presbyt. in 6. cũ ſimil. Et propterea

rea ſtatuta omnia municipalia,& priuiuilegia cum recedant a iure communi, reſtringi ſemper oportet, & ſtrictiſſimè ſunt intelligenda, vt per Abb. in ſuis conſ. conſ. 1

Declaratio.

Procedit, niſi ſit priuilegium tangens iura concedentium, quia ſemper latè interpretandum eſt, ampliarique oportet, vt per Doctor. in d.c.1.

REGVLA CCXXX.

Pactum nudum non producit actionem.l.iuri.gentium.§. ſed cum nulla.ff. de pact.

Declaratio.

Procedit de iure ciuili, ſed de iure canonico, & in foro conſcientiæ pactum obligat, quamtumuis nudum: cum Deus non faciat differentiam inter ſimplicem loquelam, & ſolemnem. c. iuramenti. 22.q.5.c.1. & ibi Doctor. de pact.& colligitur ex Diuo Thoma 2.2. q.11.

REGVLA CCXXXI.

Pacta ſunt ſeruanda.l. iuriſgentium. §. prætor, ait, ff. de pact.c. qualiter, eod. tit.

De-

Digitized by Google

Declaratio.

Procedit, niſi ſint contra leges, & bonos mores: Pacta enim, quæ contra leges fiunt, nullam vim habere poſſunt. l. pacta, quæ contra. C. de pactis. l. non dubium. C. de leg Vel procedit, niſi ex iuſta, & ſuperueniente cauſa reſcindantur. arg l. qui iurato. ff. qui ſatiſ. cog.

REGVLA CCXXXII.

Papa poteſt omnia Vel, Papa habet plenitudinem poteſtatis. c. propoſuit de conc. præb. c. cuncta per mundum. 9. q. 3. cum ſi. Ei enim Matth. c. 16. dictum eſt a Domino in Petro. Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cælis.

Declaratio.

Procedit in iis, quæ ſunt iuris ſimpliciter poſitiui: ſed in iis, quæ ſunt iuris naturalis, & diuini, ſummus Pontifex nullam poteſtatem habet, niſi interpretrandi, ac declarandi, c. ſunt quidam 25. q. 1. Quinimo contra ius poſitiuum Papa diſpenſare non poteſt, quando ex illa diſpenſatione decoloraretur & etiam deſtrueretur ſtatus vniuerſalis Eccleſiæ, vtputa ſi permitteret, ac diſpenſaret, quod omnes clerici poſſent

ſent vxores ducere. vt per Doct. in c. 1. de conſtit. & in dicto capit. ſunt quidã. Et propterea Abbas in cap. a nobis, de ſentent. excommun. n. 3. dicit quod Papa poteſt omnia, claue tamen ſemper directa, & illa auctoritas, quodcunque ligaueris, &c. intelligitur, inquit, dummodò iuſtè liget.

REGVLA CCXXXIII:

Par in parem non habet imperium. l. ille a quo §. tempeſtiuum. ff. ad Treb.

Declaratio.

Procedit, niſi par ſe ſubiiciat iuriſdictioni alterius paris, vel etiam minoris, l. eſt receptum. ff. de iuriſd. omn. iud. & notat Gloſ. in d. §. tempeſtiuum. Vel procedit, niſi tractetur de publica ſalute, & vtilitate, quia tali caſu par in parem poteſtatem habet. Et propterea, licet Papa a nemine iudicari poſſit, quia parem non habet in terris. cap. ſi Papa. 40. diſt. fallit tamen, ſi de crimine hæreſis tractaretur, vt notat gloſſ. in d. c. ſi Papa, & facit text. in c. ſi qui presbiteri. 81. diſt.

REGVLA CCXXXIV.

Paria delicta mutua compenſatione tolluntur. l. viro. ff. ſolut. matrim. leg. ſi duo. ff. de dolo.

Digitized by Google

Declaratio.

Procedit, quando paritas etiam terminorum adeſt, vt in d.l. viro, vbi dicitur, quod ſi maritus accuſet vxorem de adulterio, ad effectum, vt dotem lucretur. & illa e contra obiiciat ei lenocinii crimen, iſta paria delicta huiuſmodi compenſatione diſſoluuntur, & vir non lucrabitur dotem. Secus autem eſt, quando terminorum paritas non adeſt: Quia varietas perſonarum varium ius quoque facit, l. p. C. de temp. in integ. reſt Et propterea Sot. l. 4. de iuſt. & iur. q. 6. art. 3. dicit, quod ego in fama læſus, alteri famã reſtituere non teneor, ſi ille mihi meam reſtituere non vult; quando ambæ ſumus perſonæ priuatæ; ea ratione, quia paria delicta, &c. ſecus ergo foret, ſi ambæ non eſſemus perſonæ priuatæ, quia varietas perſonarum varium iur. ſemper facit. d. l. penult.

REGVLA CCXXXV.

Paria ſunt aliquid non fieri, vel illegitimè fieri. l. quoties. C qui ſatiſd. cog.

Declaratio.

Procedit, niſi illud, quod illegitimè fit, videlicet contra leges, vel ſtatuta, ex conſuetudine iuſta, & rationabili ſubſiſtat arg. §. ex non ſcripto. inſtit. de iur. nat. gen. & ciu.

RE-

REGVLA CCXXXVI.

Pater non poteſt præiudicare filio l. de re filiorum. ff. de tranſact. l, non debet. ff. de regul. iur.

Declaratio.

Procedit, in acquiſitis: ſecus autem eſt in acquirendis: Sicut enim prælatus præiudicat Eccleſiæ, quando agitur de lucro acquirendo. cap. placuit. 16. q. 3. ſic pater præiudicat filio, vt ſupra fuit dictum, in Regula, Alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri.

REGVLA CCXXXVII.

Paupertas prodeſt. l. ſi quis ad declinandum. §. ſi autem. & ibi: gloſſ. C. de epiſc. & cle. §. ſed, & propter paupertatem. inſt. de excu. tut.

Declaratio.

Procedit in caſibus expreſſis a iure, vt in d. §. ſed, & propter, vbi dicitur, quod pauperes excuſantur a munere publico, & a tutela, vel cura; ſecus autem in omnibus caſibus. Vel regulariter, & in caſibus a iure expreſſis paupertas prodeſt, ſed vt dicit Cinus in d. l. ſi quis ad declinandum, a tali prodeſſe libera nos Domine.

Digitized by Google

REGVLA CCXXXVIII.

Peccati venia non datur, niſi corre-ƈto. c. peccati venia. de regul. iur. in d. c. legatur. 24. q. 2.

Declaratio.

Procedit in venia culpæ: ſecus autem eſt in venia pænæ. Propter ſcandalum enim vitandum aliquando pęnæ venia etiam non correƈto datur, id eſt relinquuntur peccata impunita, vt per gloſſ. in diƈto c. peccati venia. Et propterea in c. denique. 4. diſt. cum laici, & ſeculares diebus Dominicis Quadrageſimæ cibos carnium appeterent, nec tali conſuetudine poſſent auerti, cum venia, inquit text. ſuo ingenio relinquendi ſunt, ne forte peiores exiſtant, ſi tali conſuetudine prohibeantur. Qui enim multum emungit, elicit ſanguinem, &c. vbi gloſſ. ſuper illo verbo, venia, intelligas, inquit, de venia pænæ, non de venia culpæ: toleratur enim crimen tale propter periculum ſchiſmatis, vel ſcandali. Vnde non eſt dicendum, quod ignoſcatur eis, licet non puniat eos propter multitudinem, vel ſcandalum. Hæc gloſſ. in d. c. denique.

RE-

REGVLA CCXXXIX.

Plus diuiti, quàm pauperi creditur. §.fin.inſt.de ſuſpect.tut.

Declaratio.

Procedit, ceteris paribus: fallit autem, ſi diues habeat aliam præſumptionem contra, vt puta, ſi ſit cognatus illius, pro quo, vel contra quem teſtificatur: quia tali caſu plus pauperi extraneo, quam diuiti tali credetur: Præſumptio enim tollitur præſumptione. l. diuus. ff. de in inte.reſtit.

REGVLA CCXL.

Plus, & minus non faciunt rem differre ſpecie.l.fin. ff. de fundo inſtruct.& inſtrum.leg.

Declaratio.

Procedit, quando differunt accidentaliter, vt in d.l. fin. vbi dicitur: Si nauem cum inſtrumento emiſti, non debet tibi præſtaris capha navis, quia cum in mediocritate, non in ſpecie, ab ea differat, ſcapha nauis non eſt inſtrumentum nauis: ſecus autem eſt, quando plus, & minus differunt eſſentialiter, vt not.in d.l.fin.

Digitized by Google

REGVLA CCXLI.

Pœna debet commenſurari ad delictum. c. non afferamus 24. q. 1. l. ſancimus. C. de pœn. Vbi enim magis delictum, ibi maior pęna requiritur. d. c. non afferamus, & ibi not. gloſſ.

Declaratio.

Procedit regulariter: quandoque tamen in illis caſib. in quibus homines proniores ſunt ad peccandum; magis a lege puniuntur, quamuis minus peccēt, vt ſic retrahantur a tali facinore, Exemplum eſt in fornicatione notoria; Licet enim multa crimina grauiora illa ſint, quia tamen facilius, & ſędinis delinquitur in hoc crimine, quam in aliis; ideò maior pęna a iure ſtatuitur, vt notat gloſſ. per illum tex. in c. admonere. 33. q. 2.

REGVLA CCXLII.

Pœna non debet extendi vltra ſuum caſum cap. pęnæ, de pœn. diſt. 1.

Declaratio.

Procedit, niſi eadem ratio idem etiā ſuadeat. Vnde pęna ob vxoricidium extenditur etiam ad matricidium, & pęna impoſita ei, qui ſeruum alienum corrupit, extenditur etiam ad eum, qui filium familias corrupit, cum inter eos

ea-

Digitized by Google

eadem militet ratio.arg.l. illud ff. ad l. Aquil.

REGVLA CCXLIII.

Pæna tenet ſuos actores. l. ſancimus. C.de pęn.§. 1.inſt.de nox.act.l.iniquum eſt enim quod factum alienum alii damnoſum ſit, vt notat glo.in d.§. 1. facitq;illud Ezech.c 18.Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii.

Declaratio.

Procedit in temporalibus, vel corporalibus pœnis; Fallit autem in dignitatibus, & ex cauſa Et propterea filii presbyterorum ad ſacros ordines promoueri non poſſunt, neque vllam prælationem habere, quia licet in culpa non ſint, propter dignitatem tamen, & excellentiam clericalem, quæ turpibus, & infamibus perſonis committi non debet, & propter deteſtationē criminis paterni, quod aliquando deteſtamur in filiis, & punimus temporaliter, repelluntur a ſacerdotio, & a quacunque dignitate eccleſiaſtica. c.1. & ibi Doct. de fil. presb.

REGVLA CCXLIV.

Poſſeſſor malæ fidei, vllo tempore nō

præſcribit. c. poſſeſſor. de reg. iur. in 6. c. ſi virgo. 34. q. 2. cum ſim.

Declaratio.

Procedit de iure canonico: ſecus autem eſt de iur. ciuili; eo namq; iure præſcribitur res longiſſimo tempore, & cum mala fide. l. cum notiſſimi. C. de præſcriptio. 30. vel 40. annorum. Cum enim ius ciuile non habeat reſpectum ad ſalutem animarum, ſed ſolum ad bonum commune; ideò cùm mala fide procedit præſcriptio longiſſimi temporis. Sed ius canonicum habet reſpectũ non ſolum ad bonum commune, ſed etiam ad ſalutem animarum. Vnde cùm poſſidens mala fide continuè ſit in peccato mortali; ideò noluit vt poſſeſſor malæ fidei vllo tempore præſcribere poſſit. Et iſtud ius canonicum, quia ſumus in materia peccati, ſeruatur, & habet locum non ſolum in foro eccleſiaſtico, ſed etiam in foro ſeculari, vt ſupra fuit dictum in regula quarta: & notatur in dicto §. poſſeſſor. Vel procedit regulariter: ſed preſcriptiones longiſſimi temporis, quæ procedunt ex ſola negligentia non petentis, & non ex facto poſſidentis, præſcribuntur cum mala fide, vt puta, debeo tibi decem ſcuta ex aliquo contractu, tu non petis illa per ſpatium 40. annorũ, iſta præſcriptio currit

mala

mala fide, licet ſciam me eſſe debitorem tuum: ideò ſi poſtea facias me cõuenire, potero me tueri præſcriptione longiſſimi temporis, quia iſta præſcriptio eſt ex ſola negligentia tui creditoris; de qua in c. fi. de præſcript. in antiq. & notatur in principio, d. §. poſſeſſor malæ fidei.

REGVLA CCXLV.

Poſteriora derogant prioribus. §. poſteriore. inſtit. quib. mod. teſt. infir. l. non eſt nouum. ff. de legi.

Declaratio.

Procedit in teſtamentis, in legibus, & huiuſmodi: quia poſteriore teſtamento facto, tollitur, & rumpitur primum d. § poſteriore ſicut per l. poſteriores, ſi ſint contrariæ, tolluntur priores, dicta l. non eſt nouum, & l. ſed & poſteriores, ff. de legib. Fallit autem in ſententia, quia valet prima, non ſecunda, ab eodem, & ſuper eadem relata l. iudex. ff. de re iud. & notat gloſſ. in dicto §. poſteriore. Vel procedit regula, quando poſteriora iure perfecta ſunt, alias non derogant, neque nocent prioribus, vt notatur in dicto §. poſteriore.

REGVLA CCXLVI.

Potẽtia propinqua actui eſt actus. Vel

Proximus accingi habetur pro accincto l. penul. ff. de milit teſt. Paria enim ſunt eſſe, vel de proximo ſperari. d. l. penul.

Declaratio.

Procedit impropriè, & fictè: vel procedit regulariter. fallit autem, quando lex actum ipſum requirit. argu. l. cum hi. § ſi prætor. de tranſact. Et propterea ſi teſtamentum dicat: Eligatur vnus ſacerdos, qui ſit ſufficiens, & idoneus, non poterit eligi diaconus, quamuis vigeſimumquintum annum attingat, & in potentia propinqua ſit ſacerdos: teſtamentum enim actu ſacerdotem requirit, & a verbis legis non eſt recedendum, leg. non aliter. de leg. 3.

REGVLA CCXLVII.

Præſumptionibus non eſt iudicandum, ſed clariſſimis argumentis, & probationibus, l. fin. C. de probat.

Declaratio.

Procedit, quando præſumptiones paruæ ſunt, & leues: ſecus autem ſi magnæ ſint, & violentæ; quia talibus iudicatur, prout etiam iudicauit Salomon, quando ſententiam diffinitiuam tulit, quod puer, de quo controuerſia erat inter duas illas mulieres, illius eſſet,

Digitized by Google

ſet, quæ non conſenſerat, vt in duas diuideretur partes, vt in c. afferte mihi gladium, de præſumpt. & originaliter in lib. 3. Reg. c. 3.

REGVLA CCXLVIII.

Princeps eſt ſolutus legibus. l. princeps ff. de legi. c. cuncta per mundum. 9. q. 3. cum ſimilibus. Aut enim leg. ſunt propriæ, aut prædeceſſorum. Si propriæ propriis legibus ligari non debet, quia nemo poteſt ſibi ipſi imperare l. pen. ff. de recept. arbitr. & Nemo poteſt ſeipsũ ſoluere, vel ligare, c. vlt. de conſtit. Si prædeceſſorum legibus prædeceſſorũ pariter ligari non debet, quia par in parem non habet imperium. l. ille, a quo §. tẽpeſtiuũ. ff. ad Trebell. Et propterea Albericus in l. digna vox. C. de legi. ſumendo illã legẽ vtebatur hoc carmine: Nõ eſt Rex legi, ſed lex obnoxia Reg.

Declaratio.

Procedit in legibus humanis, & ſimpliciter poſitiuis; fallit autem in lege naturali, & Diuina, quia talib. Papa, & Imperator ſubiiciuntur, vt not. Doct. in c. 1. de conſt. Et propterea in cap. 1. de prob. & in l. Cæſar. ff. de publ. apparet. Imperatorem obligari naturaliter ex proprio contractu locationis, vel huiuſmodi. Vel procedit ex neceſſitate: ſecus

autem eſt de honeſtate. d.l. digna vox. C. de legi. vbi profitetur Imperator viuere ſecundum leges, eaſq; ſervare velle: Iuſtum eſt enim principem legibus ſuis obtemperare; & pati quis debet legem, quam ipſe tulit, c.iuſtum 9.q.3. c.pro illorum, de præb.

REGVLA CCXLIX.

Principale trahit ad ſe acceſſorium. l.cum principale. ff. de regul. iur. c. acceſſorium, de reg.iur.in 6.

Declaratio.

Procedit in coniunctis, & vbi militat eadem ratio, ſecus autem in ſeparatis, & vbi ratio eſt diuerſa. argum. l. interpoſitas. C. de tranſact. Vel procedit, quando acceſſorium continetur in principali: ſecus autem ſi disiunctum, & ſeparatum ſit, vt notat Ang in ſumma, verbo Legatum, n.25. Et propterea Pa. in c. Raynutius, de teſt quem refert & ſequitur idem Angel. in loco citato dicit, quod ſi alicui domus ſimpliciter legata ſit, debetur etiam hortus cohæreat domui: Sed ſi non cohæreat, hortus non debebitur.

Vel procedit regula, niſi acceſſorium eſſet maius, & pretioſius ſuo principali. l.iuſtiſſimè. §. 1. ff. de edi.edic. Sed in legatis actis acceſſoria etiam pretioſiora ſuo

ſuo principali exiſtant, veniunt, & accedunt, vt ſupra fuit dictum, & exemplificatum in regula, acceſſorium ſequitur ſuum principale.

REGVLA CCL.

Prior nominatus, eſt magis dilectus. c.quis de elect in 6.l. communis ſeruus 2.de ſtip.ſeruo.

Declaratio.

Procedit in materia fauorabili, vel indifferenti, vt in d.c. ſi quis, vbi dicitur, quòd ſi abſens plures procuratores ad actum electionis conſtituat, & concordari nequeat, quis ipſorum debet procurator eſſe, is qui primo in inſtrumento procurationis extiterit nominatus, procurator erit. Secus autem eſt in materia odioſa. arg. c. odia. de reg. iu. in 6.

REGVLA CCLI.

Priuilegia perpetua firmitate conſtare debent: c. 1. & 2. 25. q. 2. {cap. celebritatem. de conſe.diſt. 3.

Declaratio.

Procedit regulariter: fallit autem cauſa noua ſuperueniente, vt puta, ſi quis priuilegio abutatur. c. priuilegium. 11. quæſt. 3. Item propter delictum ciuium priuilegiū amittitur

titur.c.ita nos. 25. q. 2. Item per negligentiam ſpacij decem annorum. l. 1. ff. de nūdin. Item per contrarium factum, & cum enorme præiudicium alteri priuilegium inducit, cap.pro illorum, de præb.& cap.ſuggeſtum, de deci. Vnde verſus.

Indultum tollit contemptus, crimine abuſus
Oppoſitum factum, damnum, corpus variatum:

Vt per Gloſſam, & Doctores in dicto capitulo ſuggeſtum.

REGULA CCLII.

Priuilegia non ſunt amplianda, c.ſanè. de priuil. c. non exemplo. 16. q. 2. cum ſimil. Priuilegia enim recedunt a iure communi, eſt odioſum, & per conſequens reſtringendum. c. 1. & 2. de fil. presbit. in 6.

Declaratio.

Procedit in priuilegijs; ſecus autem eſt in beneficijs, quia in ijs largiſſima fit interpretatio l.fin. ff. de conſtit. Vel procedit in priuilegijs, quæ tangunt iura aliorum: Sed priuilegia, quæ tangunt iura concedentium, latè interpretanda ſunt, vt notat Innoc. in c. dilecti. de donat.

RE-

REGVLA CCLIII.

Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſinit poſſidere. c. pro poſſeſſore. de reg. iur. in 6. l. qui dolo. ff. eodē. Dolus enim nemini debet prodeſſe, ſed obeſſe leg. quod ſi dolo. leg. is, qui dolo. ff. de rei vend.

Declaratio.

Procedit quando aliquis ſcienter, dolo, & data opera deſinit rem poſſidere, vt in d. l. quod ſi dolo, vbi talia ſunt verba: Si poſſidebas rem, quam ad me pertinere aſſerebam, & poſtea ſcienter, & ad me fraudandum deſiiſti illam rem poſſidere, poſſum tecum agere, ac ſi adhuc poſſideres, & teneberis ad reſtitutionem rei, ſi poſſis eam recuperare a nouo poſſeſſore, alioquin ad æſtimationem eius: Secus autem eſt, ſi non data opera, & dolo, ſed caſu fortuito res periit, nec in mora reſtituendi fuit, vt notat gl. in d. c. pro poſſeſſ.

REGVLA CCLIV.

Pupillus teſtari non poteſt. l. qua ætate. ff. de teſtam. l ſi. C. de milit. teſtamēt, quod ſanè procedit, etiā ſi pupillus velit ad pias cauſas teſtari, vt per Bart. in leg. 1. q. 2. R. de ſacroſ. eccleſ. Et ſi ſtatu-

tutum diſponat, quod pupillus poſſit facere teſtamentum, huiuſmodi ſtatutum non valeret, vt per Ang. in l. ſi quæramus: ff. de teſt. Propter imbecillitatem enim iudicij ei non permittitur; cum quicquid agat pupillum. ff. de reg. iur. Quo fit, vt pupillus non doli capax, ſi occiderit, non teneatur pæna ordinaria leg. Corn. ſed alia leuiori. l. infans. ff. de ſicca.

Declaratio.

Procedit regulariter, fallit autem, quando pupillus doli capax principis licentia, ſeu indulgentia faceret teſtamentum; quia princeps id ei concedere poteſt. Bart. in l. ſi quamuis. ff. de teſt.

REGVLA CCLV.

Quando acquiſitum eſt ius alicui, ab eo, & ſibi inuito auferri non poteſt. l. ſi. ff. de pact. regula, id quod noſtrum eſt ſine facto noſtro alterius fieri non poteſt. ff. de reg. iur.

Declaratio.

Procedit, quando acquiſitũ eſt ius in re, & ad rem, vel irreuocabiliter: ſecus autem ſi in re tantum, & reuocabiliter acquiſitum ſit: quia ab eo, & ſibi inuito

to auferri poteſt, vt notat gl. & Doct. in §. 1. inſtit. de act. & in l. ex hoc iur. ff. de iuſt. & iur. Et propterea Nau. in Man. c. 17. n. 70. dicit, quod ille, qui facit teſtamentum mutari, aut legatum in aliū transfert, quamuis mortaliter peccet, ſi id mala intentione, & ex odio facit; non tamen tenetur ad aliquam reſtitutionem, quia hæredi, aut legatario non erat ius acquiſitum in rem, & ad rem; neque ei competebat officium iudicis ad petendum talem rem; ſed reuocabiliter, & in rem tantum acquiſitum ius erat, quia teſtamentum ſemper reuocari poteſt, cum Ambulatoria ſit teſtatoris voluntas vſque ad extremum vulgatur.

REGVLA CCLVI.

Quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio. l. oratione. ff. de ſeru. l. de ætate. §. ex cauſa. ff. de inter. act l. 1. in princ. ff. de ventre inſpi.

Declaratio.

Procedit, quando accidentaliter, & inopinato aliquid nouum emergit, vt in d. l. oratione. vbi dicitur; Dilatio inſtrument. non eſt danda amplius quam ſemel; ſed vtilitatis litigātiū gratia, cauſa cognita, & maximè ſi aliquid inopinatum emergat; dilatio iterū impartiri

po-

Digitized by Google

poteſt ; Secus autem ſi non accidentaliter , & inopinato, ſed culpa, aut dolo alicuius aliquid nouum emergat , quia dolus nemini debet prodeſſe,ſed obeſſe. l.quod ſi dolo, de rei vend.

REGVLA CCLVII.

Quæ religioſis adhærent , religioſa ſunt l.quæ religioſis. ff. de rei vend.

Declaratio.

Procedit reſpectu aliarum rerum inferiorum, & quæ non religioſis, adhærent;ſecus autem eſt reſpectu ad ſeipſas Vel procedit in iis, quæ religioſis adhærent, vt in lapidib. ſepulchrorum, dicuntur religioſi , & ideo non poterunt vel dicari, quia ſunt exempti, ſecus autem eſt in iis, quæ religioſis proxima ſunt: nam illa prophana ſunt, vt notat gl. in d.l.quæ religioſis adhærent.

REGVLA CCLVIII.

Querela inofficioſi teſtamenti non habet locum in teſtamento militis. l. fi.C.de inoffi. teſtam.

Declaratio.

Procedit in iure antiquo , hodie autem non gaudent milites priuilegiis militaribus, ſed in eorum teſtamentis,

& acti-

& actibus debent vti iure communi, vt per Cyn. in l. pen. C. de iur. & fac. igno. & Bald. in l. teſtamentis. C. de teſt. Neque iſtud reprehenſibile iudicari debet, quia ſecundum varietatem temporum ſtatuta quoque variantur humana. c. non debet. de conſangu. & affin.

REGVLA CCLIX.

Querela inofficioſi teſtamenti non habet locum in teſtamento fratris leg. fratres C. de inoffi. teſt. l. 1. ff. eod. Non tenetur enim aliquis fratrem hæredem inſtituere. d. l. 1.

Declaratio.

Procedit regulariter: fallit autem ſi aliqua perſona turpis, & infamis inſtituta ſi hæres: quia tali caſu teſtamentum fratris querelari poteſt (niſi teſtator ſimiliter eſſet infamis) §. ſoror autem. inſt. de inoff. teſtam.

REGVLA CCLX.

Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur. l. qui occidit. §. pen. ff. ad l. Aqui. c. de cetero. de homic. c. ſtudent. 50. diſt.

Declaratio.

Procedit, quando cauſam propinquã dedit,

dedit, vt in d.c. de cetero, vbi cum quidam Diaconus ad homicidium perpetrandum conſilium, & opem dediſſet, in irregularitatem incurriſſe deciditur ſecus autem eſt, quando cauſam remotam dedit, vt notat glo. in d.c. de cetero. Vel procedit impropriè, & fictè, vt ſonat verbum, videtur, l. 1. § deieciſſe. ff. de vi, & vi arm.

REGVLA CCXLI.

Quicquid acquirit filius patri acquirit. l placet ff. de acqu. hæred. §. 1. inſt. per quas perſo. non acqui.

Declaratio.

Procedit in filio, qui in patris eſt poteſtate; ſecus autem in emancipato dict. §. 1. Vel procedit, niſi bona ſint caſtrenſia, vel quaſi, quia in iſtis pater nihil habet, & ad libitum filius diſponere poteſt. l. 1. §. vlt. ff. ad Mace. & notatur in d §. 1.

REGVLA CCXLII.

Qui non poteſt per ſe, non poteſt per alium. l. neq; per ſe. C. de hæred. inſtit.

Declaratio.

Procedit, quando prohibetur ratione de-

delicti. Vel procedit, niſi ex diſpenſatione legis, qui non poteſt per ſe, per alium poſſit, vt in capitulo ſuffraganeis, extra de electiõn. vbi Metropolitanus confirmatus, licet nondum receperit pallium, & ſic per ſeipſum conſecrare non poſſit; poteſt nihilominus electũ, quia ad eius iuriſdictionem pertinet, per ſuos ſuffraganeos conſecrare.

REGVLA CCLXIII.

Quilibet in re ſua eſt moderator, & arbiter. l. in re mandata, Cod. manda cum ſimil.

Declaratio.

Procedit, niſi lex in aliquo caſu reſiſtat, vt in vltimis voluntatibus, in quibus non poteſt Teſtator de ſuis rebus diſponere, niſi quantum leges ipſæ permittunt. l. nemo poteſt. ff. de legibus. Vel procedit, dum tamen alterius conditionem deteriorem non faciat, lege Domum ſuam. ff. de Regulis iurium. ibi: Domum ſuam vnicuique reficere licet; dum tamen alteri ædificio non noceat, in quo ius non habet.

REGVLA CCLXIV.

Qui peccat iur. auctoritate, non peccat.

cap.

Digitized by Google

cap. qui peccat. 23. quæſt.4. cap. dixit, 14 q.5.

Declaratio.

Procedit, quando peccat auctoritate iuris canonici; ſecus autem, quando peccat auctoritate iuris ciuilis. Cum enim multæ ſint leges ciuiles, quæ fouent, & nutriunt peccatum, vt leges, quæ concedunt præſcriptionē cū mala fide, contra regulam. Poſſeſſor malæ fidei vllo tempore non præſcribit, de reg. iur. in 6. Item, quæ permittunt deceptionē inter contrahentes vſque ad dimidium iuſti pretii, vt eſt tex. in l. in cauſæ. 2. de mino. Item quæ nolunt valere legata ad pias cauſas, niſi per tot teſtes probētur, contra c. relatum. 1. de teſt. Item, quæ concedunt vſuras, contra c. ſuper eo. de vſu. Ideò qui peccat harum legum, vel ſimiliū, auctoritate, peccat, vt per Ang. verb. lex n. 4. in fin.

REGVLA CCLXV.

Qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur. c. qui per alium, de regul. iur. in 6. l. quod iuſſu alterius. ff. eo.

Declaratio.

Procedit impropriè, & fictè, vt ſonat ver-

verbũ, videtur, l. 1. §. deieciſſe videtur. ff. de vi, & vi arma. Vel procedit, niſi aliquid in me reſideat, vel niſi onus perſonale ſit, vt eſt onus recitandi diuinum officium, & huiuſmodi; quia in alienos humeros transferre, & per alium illud perſoluere non poſſum, vt colligitur ex D. Thom. quod l. 6. q. 5. ar. 2. & Syl. verb. hora. §. 3.

REGVLA CCLXVI.

Qui potuit prohibere, & non prohibuit, particeps delicti cenſetur. c. ſicut dignum, de ſent. excom. glo. in l. culpa. ff. de reg. iur. Et propterea, ſi delictũ ſit commiſſum in conſpectu alicuius, qui erat armatus, & ſine periculo vitæ poterat impedire, ne homicidium ſequeretur, illius facinoris particeps exiſtimatur, vt per gloſſ. in d. l. culpa.

Declaratio.

Procedit, quando alia aliqua coniectura concurrat, vt puta, ſi ante delictũ erat cum delinquente, & poſt factum aſſociauit ipſum in aliquo loco: ſecus autem, ſi nulla alia coniectura concurrat, cum nullus teneatur, ſi comodè poteſt l. charitatis, glo. in d. l. culpa, & notat Nouell. in tract. ad defen. n 99.

RE-

Digitized by Google

REGVLA CCLXVI.

Qui prior eſt tempore, potior eſt in iure, c. qui prior. de regul. iur. in 6. lege quoties de rei vendicat.

Declaratio.

Procedit regulariter; Fallit autem in legibus, in teſtamentis, & huiuſmodi, quia poſteriora reuocant priora, vt notat Gloſſ. in dicto c. qui prior. Vel procedit quando ſunt cetera paria, vt in dicta lege quoties vbi dicitur. Si plures ſint creditores alicuius debitoris, & vendantur res ipſius debitoris, debet eſſe prior in credito conſequendo, qui prior exiſtit creditor in tempore: Secus autem eſt in iis, quæ par ius non habent. Priuilegia enim conſiderantur non ſolum ex tempore, ſed ex cauſa. l. priuilegia. ff. de priuileg. credi. Et propterea quia dos eſt priuilegiata tot. titu. de iur. iur. dot. creditrix dotalis prefertur aliis creditoribus, quamuis anteriores exiſtant, præterquam filii ex priori matrimonio, qui agunt ſimiliter de dote materna cum enim & ipſi priuilegiati ſint; concurrentibus priuilegiis vtimur iure communi, vt per Azor. in tit. C. qui potiores in pignore habean.

R E.

Digitized by Google

REGVLA CCLXVIII.

Qui ſuo iure vtitur, nemini facit iniuriam. c. cum eccleſia. de elect. l. iniuriam. ff de iniuriis.

Declaratio.

Procedit, quando legitimè & debito modo vtitur. Secus autem eſt, ſi animo nocendi faciat, vel ſi debitum modum excedat, vt notat gloſſ. in d. c. cum eccleſia. Et propterea in l. 1. ff. de aqua plu. arcen. dicitur, quod non licet mihi ita rigare ruſticum prędium meum, quod noceat vicino prædio, & in leg. domum. ff. de regul. iur. dicitur, quod non licet alicui ita reficere domum ſuam, quod noceat alteri ædificio, in quo ius non habet.

REGVLA CCXIX.

Qui totum dicit, nihil excludit. l. Iulianus. ff. de leg. 1. gl. in l. a procuratore. C. manda.

Declaratio.

Procedit regulariter: Generales tamen

men locutio reſtringitur ſemper ad habilitatem. leg. vt gradatim. §. & ſi l. ff. de mun. & honor. Et propterea, quamuis in capitulo cum ſis, de auctor. & vſu pallij dicatur; Vbicunq; Archiepiſ. diebus ſolemnibus Miſſam celebret, vſum palli, per quod plenitudo pontificii deſignatur, poterit exercere. Non tamen extra prouinciam pallio vti poterit, ſed quod dicitur; vbicunque reſtringi oportet, videlicet infra quemlibet Eccleſiam ſuæ prouinciæ, vt not. glo. in d. c. cum ſis.

REGVLA CCLXX.

Qui tacet conſentire videtur, c. qui tacet. de reg. iur. in 6. l. 2. §. voluntate. ff. ſolu. matr. cap. nonne de præſumpt. ibi. Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & demonium habes? Reſpondit Ieſus, Ego dæmonium non habeo. Duo quippe ei illata fuerunt: vnũ negauit, alterum tacendo conceſſit.

Declaratio.

Procedit, quando quis tacet in actu honorabili, vel concupiſcibili, vt in d. c. nonne, & in d. l. 2. vbi patet agens de dote filiæ de ipſius voluntate agere videtur,

Digitized by Google

detur, ſi filia non contradicat: Sed in actu vituperabili; & præiudiciali; in quo eſſet verecundum, aut damnoſum loqui, vel conrradicere, tacens plerunque diſſentire videtur. l. filius familias, §. inuitus. ff. de procur. Vel procedit regulariter; interdum tamen qui tacet, nec conſentit: nec contradicit, vt dicitur in cap. is, qui tacet. is, qui tacet. de reg. iur. in 6. & in c. anteriorum. 2. q. 6. vbi tacens, & non contradicens illicò ſententiæ contra eum latæ, non habetur pro conſentiente; cum ſcias ſuum ius iuuare, & infra decem dies appellare poſſe. Vel procedit adhuc regulariter, fallit autem in illis caſibus, in quibus conſenſus expreſſus requiritur, vt notat gloſſ. in d. c. is, qui tacet.

REGVLA CCLXXI.

Qui vult conſequens, vult & neceſſarium antecedens. l. ad rem. ff. de procura. l. legatis. ff. de aliment. lega.

Declaratio.

Procedit in coniunctis, & vbi militat eadem ratio, vt in d. l. ad rem. ff. de procur. vbi mandatum habens ad aliquam cauſam, ad ea etiam habere cen-

Digitized by Google

ſetur, per quæ ad cauſam illam peruenitur. Secus autem in ſeparatis, & vbi ratio eſt diuerſa. arg. l. interpoſitas. C. de tranſact. Vel procedit in materia fauorabili, aut indifferenti, vt in d. l. legatis. vbi ſi maritus relinquat vxori alimenta; veſtitum etiam, lectum, & habitationem, intelligitur legaſſe, & ea, ſine quibus non poſſet comodè, & honeſtè viuere. Secus autem eſt in materia odioſa, argum. c. odia. de reg. iur. in 6.

REGVLA CCLXXII.

Quod ab initio non valet, tractu temporis non reconualeſcit l. 1 §. puberis. ff. como. c. placet. de conuer. coniug.

Declaratio.

Procedit, quando ab initio actus omnino inualidus erat, vt in dicto c. placet, vbi ſi maritus ingrediatur religionem, eamque profeſſus ſit, inſcia eius vxore: eidem reclamanti, & contradicenti reſtituendus eſt: nec eadem vxore mortua, tenetur iterum religionem intrare, quia ingreſſus religionis a principio omninò inualidus erat: Secus autem eſt, ſi a principio actus omnino non inualidus eſſet, quia tractu temporis reconualeſcit. Et proptere-

Digitized by Google

rea in capitulo ſecundo, de regul. dicitur, quod ſi aliquis poſt legitimos annos videlicet poſt decimum quartum, vel hodie ex præſcripto Concilii Tridentini, poſt decimum ſextum, per vim Monaſterium ingrediatur, nec ipſe, aut parentes eius infrà annum ad Epiſcopum, vel Pontificem reclamauerint tranſacto anno in religione permanere debet; quia ab intio talis ingreſſus omninò non inualidus erat.

REGVLA CCLXXIII.

Quod alicui gratiosè conceditur trahi non debet ab aliis in exemplum, c. quod alicui de regul. iur in ſexto. l. quoniam. C. de Epiſcop. & cler.

Quæ enim a iure communi exorbitant, & diſcordant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda cap. quæ a iure. de reg. iur. in ſexto.

Declaratio.

Procedit, quando alicui gratiosè aliquid eſt conceſſum a Principe, vt in d. c. quod alicui, & ibi; glo. quæ tale ponit exemplum; Papa diſpenſauit cum aliquo licentiato ſuper pluràlitate beneficiorum, & appoſuit cauſas, quæ il-

lum mouebant ad diſpenſandum, dicens: quia legiſti iura canonica in tali ſtudio tecum diſpenſamus; ſi alius licentiatus ſimiles, vel alios fructus facit, non poterit extendi gratia iſtius ad illum, quia quod alicui gratiosè conceſſum eſt à Papa, ad cauſas ſimiles non debet extendi: Secus autem eſt, ſi eſſet conceſſum aliquid a iure communi, vt notat, gl. in d. c quod alicui. Vel procedit in priuilegio: priuilegium n. conceſſum vni, non extenditur ad alios. c. contra morem. 109. diſt. fallit autem in iure: Ius enim vni conceſſum ad alios extenditur, vt notat gloſſ. in c. hinc eſt etiam. 16. q. 1.

REGVLA CCLXXIV.

Quod de vno negatur, de alio conceſsum eſse videtur: c. qualis 25. diſt. l. cum prætor. ff. de iud. cum ſimil. Sic e contra: Quod de vno conceditur, de alio negatur. l. maritus. C. de procur. l. cum ita, in fin. C. de cond. & demonſtr.

Declaratio.

Procedit, niſi ſequatur correctio, vel abſurdum, quod ſemper debet euitari. l. nam abſurdum. de bonis liber. Vel pro-

procedit regulariter, vt in dict. l. cum prætor. vbi ſi prætor vnum ex pluribus iudicare vetet, ceteris id committere videtur: Secus autem ſi in prohibitis, & permiſſis eadem militet ratio. arg. l. non poſsunt. ff. de legi. & notat gloſs. in dict. l. cum prætor.

REGVLA CCLXXV.

Quod fauore aliquorum introductum eſt non debet ad eorum læſionem retorqueri. l. quod fauore. C. de l. cap. quod ob gratiam de reg. iur. in 6.

Declaratio.

Procedit, niſi ſua culpa retorqueatur, quia tunc ſuccedit regula, Damnum, quod quis ſua culpa patitur, ſibi non aliis, imputare debet c. damnum. de reg. iur. in 6. Et propterea quamuis termini, ac dilationes introductæ ſint in fauorem, & comodum rei, retorquentur ad eius læſionem, & faciunt, vt præſumatur contra illum, quando multis dilationibus iudicium ſubterfugere contendit. c. nullus. & ibi Glos. & Doctores extrà præſump.

REGVLA CCLXXVI.

Quod in nullius bonis eſt, prius occupanti conceditur. §. feræ, & ibi gloſſ. inſtit. de rerum diuiſ.

Declaratio.

Procedit, ſi id venire poteſt in hominum commercium, vt feræ, volucres, piſces, & huiuſmodi; ſecus autem in iis, quæ venire non poſſunt in commercium hominum, vt ſunt res ſanctę, religioſæ; & ſacræ: talia enim licet in nullius bonis exiſtant, cum Diuini ſint iuris: prius tamen occupanti minimè conceduntur. §. nullius. inſtit. eo.

REGVLA CCLXXVII.

Quod iuſtè fit, pęnam non meretur. l. Graccus C. ad l. Iul. de adult. §. iniuria. inſtit. ad l. Aquil.

Declaratio.

Procedit, quando quod fit, iuſtum eſt iuſtitia legali, & morali, vt in d. leg. Graccus, vbi occidens adulterum, cum vxore in adulterio deprehenſum, non punitur, vt homicida: ſicut occidens

la-

latronem non punitur Aquil. l. quando non poteſt aliter euitare periculum, d. §. iniuria: ſecus autem eſt, quando quod fit, iuſtum eſt iuſtitia tantum legali, videlicet iuſtum eſt, non honeſtum; quia non omne quod licet honeſtum eſt, & non quod fit, ſed quod fieri debet; inſpicitur. l. quod ſemper de ritu nupt. c. magnæ. de voto.

REGVLA CCLXXVIII.

Quod maior pars facit, omnes facere videntur: quia maior, & totum ęquiparantur. l. quod maior. ff. ad munic. l. aliud. ff. de reg. iur.

Declaratio.

Procedit regulariter. Fallit autem in illis caſibus, in quibus conſenſus omnium neceſſarius eſt, vt in l. ſi autem. ff. de aqua plu. arc. vbi talia ſunt verba: Si autem plures ſint eiuſdem loci domini, unde aqua ducitur: omnium voluntatem eſſe ſequendam non ambigitur. Quod enim omnes tangit, ab omnibus debet probari, vt c. vbi nam, & ibi gl. diſt. ibi. Vbi nam Legiſtis Imperatores anteceſſores veſtros ſynodalibus conventibus interfuiſſe, niſi forſan quan-

do de fide tractatum eſt, quæ vniuerſalis eſt, quæ omnium communis eſt?

REGVLA CCLXXIX.

Quod non eſt rectè factum, per Principem confirmari poteſt. l. adoptio non iure facta. ff. de adop. Ipſe enim au-ctoritate ſua dat robur actui inualido. l. omnium. C. de teſtam.

Declaratio.

Procedit de plenitudine poteſtatis; Secus autem eſt de poteſtate ordinaria, vt per Felinum in cap. ea, quæ, circa finem de re iud c. Vel, procedit quando non eſt rectè factum; Vt in dicta lege Adoptio non iure facta, Vbi dicitur, quod ſi Adoptio non iure facta ſit, vt puta ſi facta ſit ſine Teſtibus, vel ſine Scriptura, vel ſi facta ſit non adhibitis iis, de quorum præiudicio tractatur, vt puta, non adhibito filio, eiuſque conſenſu adhibito, quando aliquis adoptatur nepos, vt in l. ſequenti, & in l. cum nepos adoptatur. ff. eo. talis adoptio à Principe confirmari poteſt: ſecus autem eſt ſi factum omninò ſit nullum. arg. l. eius qui in prouincia. ff. ſi certum petatur.

RE-

REGVLA CCLXXX.

Quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro alterius fieri non poteſt. l. quod noſtrum. ff. de reg. iur.

Declaratio.

Procedit, niſi auctoritate legis alterius fiat ut in §. cum aliena. inſt: de rer. diu. ibi Faciens bona fide vinum, vel oleum, & huiuſmodi, ex alienus vuis, oliuis, & id genus: eius rei dominus efficitur: ſed tenetur ad æſtimationem eius, vt notat gl. in d. §. cum aliena.

REGVLA CCLXXXI.

Quod Papa facit, & nos facere debemus. c. in cauſis. de ſent. & re iud.

Declaratio.

Procedit: niſi quid faceret, vel contra ius, vel contra bonos mores: quia tali caſu mitandus non eſſet. Vel procedit quando aliquid facit, & vult omnes alios illud ipſum facere vt in d. cap. in cauſis, vbi talia ſunt verba; In cauſis, quæ ſummi Pontificis in iudicio deci-

Digitized by Google

duntur, & ordo iuris, & vigor æquitatis eſt ſubtiliter obſeruandus: cum in ſimilibus caſibus, cæteri teneantur ſimiliter iudicare; ſecus autem eſt; ſi in ſignum priuilegii ſibi aliquid reſeruauit. c. de eo. de temp. ord. & dictum fuit ſupra, in regula, A capite non licet membra, recedere.

REGVLA CCLXXXII.

Quod quis inuitus patitur, non affert ei præiudicium. c. ad eius. 5. diſt. c. presbyteros. 50. diſt.

Declaratio.

Procedit, quando coactio abſoluta eſt, & violenta, vt in dicto c. presbyt. ibi: Sacerdotes, qui fugientes è manibus paganorum, comprehenſi ab eis, & coacti coactione violenta dæmonibus immolauerunt; nec peccauerunt, nec peccauere, nec ullo modo puniendi ſunt. Secus autem. ſi talis non ſit, vt notat gloſ. in d. c. presbiteros. Vel procedit, niſi interuenerit culpa illius, qui aliquid inuitus fuit paſſus. argum. cap, damnum, quod quis ſua culpa patitur, ſibi imputari debet. reg. iur. in 6. vel procedit in contractibus, & quaſi: ſed

in

Digitized by Google

in ordin. ſi aliquis mutiletur per vim, mutilatio affert præiudicium, & promoueri non poſſit, ſicut per vim corrupta inter virgines conſecrari non poteſt. c. expoſuiſti. de corpo. vit. c. ille. 32. q. 5.

REGVLA CCLXXXIII.

Quod ſemel placauit, amplius diſplicere non poteſt. c. quod ſemel. de reg. iur. in 6. c. horrendus. 32. q. 5.

Declaratio.

Procedit regulariter: fallit autem ex cauſa ſuperueniente, vel de nouo ad notitiam veniente: Quæ enim de nouo emergunt, nouo etiam indigent auxilio. c. inſinuante. de offic. de leg. in 6. vel procedit adhuc regulariter: fallit autem in illis caſibus, in quibus diſplicentia permiſſa eſt, vt teſtamento, & huiuſmodi; teſtamentum enim ſemper mutari poteſt, cum deambulatoria ſit hominis voluntas, vſque ad ſupremæ vitæ exitum. c. vltima voluntas 13. q. 2. Vel etiam procedit in iis, quæ ſcienter & liberaliter placent. ſecus autem in iis, quæ per errorem facti, vel per vim, aut per iuſtum metum placuerunt. Erran-

rantis enim conſenſus nullus eſt. leg. ſi per errorem.ff. de iuriſ. omne. iud. & Metus reſcindit contractum.l. metum. ff.quod met. cauſ.

REGVLA CCLXXXIV.

Quod ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.c. quod alicui. de reg.iur. in 6.c.ſicut.46.diſt.

Declaratio.

Procedit, in maleficiis, vt in d.c.ſicut, vbi talia ſunt verba; ſicut nomine ſuo non poteſt clericus exercere vſuras, & fœnus, ita nec alieno nomine debet. Indecens enim eſt crimen ſuum commodis alienis impendere; Secus autem eſt in aliis caſibus. vt in c.1. de procura.in 6 vbi laicus, qui nomine proprio non poteſt cauſam ſpiritualem tractare, tractat tamen alieno, vt notat gloſs. in dict c. quod alicui.

REGVLA CCLXXXV.

Quod tibi non nocet, & alteri prodeſt, facile eſt credendum.l. ſi cui.ff. de ſeru.l.quod teſt.ff.de euict.

De-

Declaratio.

Procedit, quando nihil, vel parum nocet, vt in dicta l. ſi cui vbi ſi alicui conceſsa ſit ſervitus per partem fundi, in qua prædium nih l, vel parum incommodatur, non licitum eſt variare. Secus autem ſi multum nocet, argumen. lege 1. ff. de offic. eius. Vel procedit, niſi tractetur de præiudicio tertii, vel de publico bono, vel de animæ ſalutæ, argum. c. ſuggeſtum. de deci. &c. vt famæ. de ſent. excom.

REGVLA CCLXXXVI.

Ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur. c. ratihabitionem de reg. iur. in 6. l. hoc iure: §. deiecit. ff. eo. c. ſi quis. de ſent. excom. in 6.

Declaratio.

Procedit, quando aliquid factum eſt nomine meo, videlicet mea contemplatione, & ego ratum habeo, tamquam geſtum nomine meo, vt in d. cap. cum quis, vbi talis eſt caſus. Cum quidam clericus intuliſset mihi iniuriam, quidam Titius meus familiaris, volens

min

mihi complacere, abſq; mandato meo talem clericum verberauit; Poſtea cum ſciuiſſem iſtud factum, mihi placuit & ratificaui, eum receptaui, & magis amicum habui; Queritur nunquid ego ſim excõmunicatus, ac ſi mandaſſem illum clericum percuti; & reſpondetur quod ſic. Secus autem eſt ſi aliquid mihi placet, quod non eſt factum nomine meo, vt dicitur in d.c. ſi quis. in fi. Vel procedit, niſi tale ſit factum, quod ab initio mandari non potuit, & is concedere qui ratum habuit. Vel, niſi actus requirat præſentiam; quia ratihabitio nihil operatur. §. tutor inſtit. de auctorit. tut. iuncto. §. Neque tamen, eodem titulo ibi: Neque hæreditatem adire, neq; bonorum poſſeſſionem petere, neque fideicommiſſum pupillus ſuſcipere poteſt, niſi tutoris auctoritas intercedat. Hanc autem auctoritatem debet præſens tutor interponere, cum ex poſt facto eius ratihabitio non valeat.

REGVLA CCLXXXVII.

Rei ſunt fauorabiliores actoribus. l. fauorabiliores. ff. de reg. iur. l. matrem. C. de probat.

Declaratio.

Procedit in fine litis, vt in d. l. matrẽ.

vbi

vbi dicitur, quod ſi Iudex ſit dubius, in pari cauſa debet ferre ſententiam in fauorem Rei, & ipſum abſoluere. Pronio res enim ad abſoluendum, quàm ad condemnandum ſemper eſſe debemus c. non ſatis. 86. diſt. ſecus eſt in principio litis, quia magis fauemus actori, quàm reo, & in medio æqualiter. l. de die: ff qui ſatiſd. cog.

REGVLA CCLXXXVIII.

Remota cauſa, remouetur effectus c. cum ceſſante. de appel. l. generaliter. C. de Epiſc. & cler.

Declaratio.

Procedit, niſi effectus eſſet impreſſus, & conſumatus, vt in §. ergo non omnes inſt. de nupt ibi: Finita adoptione, non finitur. nec remouetur prohibitio præcedentis cognationis iam contractæ, & impreſſæ.

REGVLA CCLXXXIX.

Remittenti ius ſuum, amplius non datur regreſſus. §. ſi quis itaque. inſt. de bonorum poſſeſſio. ibi: Si quidem delatam ſibi bonorum poſſeſſ. repudiaue-

rit,

Digitized by Google

rit, ſtatim cæteri admittuntur ad illam, illo perpetuo ſecluſo.

Declaratio.

Procedit regulariter: fallit autem ex cauſa, vtpura, ſi quis ius ſuum remittendo, ſit deceptus, vel ſi ignorantia facti remiſerit. Deceptus enim, non autem decipientibus iura ſemper ſubueniunt. l. ſi mulier. ff. ad Velleia.

REGVLA CCXC.

Res furtiua, vbique reperta condici, & vendicari poteſt. l 2. & 5 C. de fur. Facitq; iudicium contra illum, qui habet ipſam rem furtiuam, quod ipſe eam ſurripuerit, vt in dicta l. 2.

Declaratio.

Procedit, quando a veris dominis res furtiua condicitur, atq; repetitur: ſecus autem ſi ab aliis, vt in d. l 2. Et quo ad inditium, quod habens rem furtiuam, eam ipſe ſurripuerit, iſtud non procedit, ſi oſtendat a quo, eam habuerit, vel ſi talis eſt perſona grauis, vel honeſta, ac præſertim ſi bonæ, famæ, & conditionis exiſtit, vt Ang. in l. 2. C. de q. & facit tex. in d. l.

RE-

REGVLA CCXCI.

Res inter alios acta tertio non præiudicat. l. 1. & tot. tit. C. res inter alios acta.

Declaratio.

Procedit, niſi ex ſententia lata contra aliquem fiat ius generale, quia aliis præiudicabit, vt notat. gl. in l. 2. C. quibus iudic. non noc. Vel procedit, niſi cauſæ ſint connexæ, vt in c. tantis. 81 diſt. vbi ſententia lata contra malè promotum, præiudicat ordinatori. qui & ipſe deponitur, ſi ſcienter illum malè promouerit.

REGVLA CCXCII.

Reſiduum rei extinctæ non pertinet ad creditorem. lege mortuo boue. ff. de leg 2.

Declaratio.

Procedit in legatis, vt patet in d. leg. mortuo boue, vbi talia ſunt verba: Mortuo boue, qui legatus fuerat, neque corium, neque caro debetur; ſecus autem eſt in contractibus, vt ibidem not. Doctores.

RE-

Digitized by Google

REGVLA CCXCIII.

Scienti, & conſentienti non fit iniuria, neque dolus. c. ſcienti. de reg. iur. in 6. l. nemo præſumitur. ff. eo. l. 1. ff. de act. empt.

Declaratio.

Procedit, quando ſponte, & libero animo conſentit: ſecus autem, ſi per vim, aut metum; vel importunitatem, ſeu perſuaſionem doloſam, quis conſenſum præſtauerit, vt ſupra fuit dictum in regula nemo præſumitur. Et propterea Nau. in Man. c. 16 n. 16. dicit, quod ſi aliquis habuit rem cum virgine, ſine dolo, & deceptione ipſius, quia illa ſponte, vel leuiter rogata conſenſit, non tenetur in foro conſcientiæ eam ducere, vel dotare: ſed ſecus dicendum eſt in foro fori, & quando grauiter importunè rogata fuiſſet, vel quando illa conſenſit, & voluit perſuaſione doloſa, vt eſt etiam text. in l. vnica. C. de rapt. virg.

REGVLA CCXCIV.

Semel cauſa approbata, ſiue vera ſit, ſiue falſa, amplius retractari non poteſt.

Digitized by Google

teſt. §. eadem l. inſt. quib. ex cauſ. manumi. non licet.

Declaratio.

Procedit in materia fauorabili, vt in d. § eadem lege. vbi ſi ſeruus manumiſſus ſit ex aliqua cauſa a Iudice approbata, fauore libertatis non retractatur manumiſſio, ſi tractu temporis reperiatur iniuſta, quæ prius iuſta videbatur cauſa: ſecus autem eſt regulariter, vt notat gloſſ. in d. §. eadem.

REGVLA CCXCV.

Semel Deo dicatum ad vſus humanos amplius non eſt transferendum. c. ſemel. de regul. iur. in 6. c. nulli 12. q. 2.

Declaratio.

Procedit, quando trasfertur ad vſus humanos, videlicet ſeculares, & ſecularium perſonarum: ſecus autem eſt, ſi transferatur; vt transferri poteſt, ad vſus clericorum, & perſonarum eccleſiæ. c ligna. de conſecr. diſt. 1. Ibi: Ligna vetuſta Eccleſiæ non debent ad aliud opus iungi: ſed igni ſunt comburenda, vel in vſus religioſorum conuertenda.

RE-

REGVLA CCXCVI.

Semel malus ſemper præſumitur malus.c.ſemel. de reg.iur.in 6. cap.paruuli.22.q.5.

Declaratio.

Procedit in eodem generali, vt in d. c. paruuli, vbi ſi aliquis in certa cauſa productus in teſtem iurauit deponere meram, & puram veritatem, ſine aliqua falſitate, & poſtea depoſuerit falſum, & ſic periurauerit; in aliam cauſam non debet in teſtem produci: ex quo enim ſemel periurauit, præſumitur, quod ſemper periurabit. Vel procedit in dubio: ſecus autem eſt, ſi conſtiterit, quod ſe emendauit, & quod bonus exiſtat, vt notat gloſſ.in d.c. ſemel.

REGVLA CCXCVII.

Sententiæ iudicum non habent vim legis.l.vlt.& ibi gl.C.de leg.

Declaratio.

Procedit, ſicut dicitur, in ſententiis Iudicium, decreta tamen Principum,& eorum ſententiæ, vim legis habent, ſi definitiuę fuerint.l. nemo C. de interloc.om.iud. Sed interlocutoriæ non habent vim legis, niſi & ipſæ inſertæ ſint in

Digitized by Google

in corpore iuris, vt per Doctor. in c. in cauſis. de ſent. & re iud.

REGVLA CCXCVIII.

Sententia debet eſſe conformis libello. c. licet. de ſimon. l. vt fundus. ff. commun. diuid.

Declaratio.

Procedit in iudiciis ordinariis, vt in d. l. vt fundus, vbi talia ſunt verba: vbi fundus hæreditarius fundo non hæreditario ſeruiat, arbiter diſponere non poteſt: Quia vltra id, quod in iudicium deductum eſt, excedere poteſtas iudicis non poteſt. Secus autem eſt in iudiciis ſummariis. Vel procedit; niſi libellus eſſet incertus. Quia Iudex debet ferre ſententiam certam, etiam ſuper incerto libello §. curare. inſt. de action.

REGVLA CCXCIX.

Sequeſtratio prohibita eſt, & odioſa. l. 1. & toto tit. C. de prohibita ſequeſtra.

Declaratio

Procedit regulariter: fallit autem in caſibus a iure permiſſis, & ex cauſa, vt in c. ab eo. de ſequeſtr. poſ. & fruct. ibi: Ab eo, qui appellauit a ſententia contra

tra eum lata fructus poſſeſſionis ſequeſtrari poſſunt, ſi ipſi fructus dilapidentur ab ipſo.

REGVLA CCC.

Si vinco vincentem te, multo fortius vinco te. l. de acceſſionibus. ff. de diuer. & tempor. præſcript.

Declaratio.

Procedit, quando ſunt termini pares: ſecus autem ſi diſpares eſſent, vt per gl. & Port. in §. 1. inſtit. de Senatuſc. Tert. Et propterea licet auus præferatur patri defuncti, & pater matri; non tamen auus præfertur matri, quando inter eos ſolos de hæreditate agitur, ſed mater ſuccedit filio, ſi pater non adſit, vt in d. §. 1. Nec poteſt auus dicere matri: Si vinco vincentem te, ideſt, ſi præferor patri, qui tibi præfertur, multò fortius debeo tibi præferri, quia vt dicit ibi gl. & Doct. non ſunt termini pares rationibus, vt per eos.

REGVLA CCXCII.

Sine culpa non eſt aliquis puniendus. c. ſine culpa de reg. iur. in 6. l. ſi pulsator. ff. ad l. Aquil.

De-

Digitized by Google

Declaratio.

Procedit regulariter, & quando nulla omninò interfuit culpa, vt in d.l. ſi putator, vbi talis eſt caſus. Titius putabat frondes alicuius arboris exiſtentis in ſuo fundo; Accidit, quod aliquis tranſeundo ſub illa arbore fuit occiſus quæritur, vtrum putator debeat Aquilia lege puniri, & reſpondetur, quod non, ſi arbor ipſa erat in medio ſui fundi, vbi non poterat cogitare, quod ibi aliquis tranſitum faceret: ſecus autem eſt, quando aliqua interuenit culpa, vel quando cauſa ſubeſt, vt dicitur in d.c. ſine culpa, & facit text. in c.ſi cuius. 34.diſt.ibi: Titius contraxit matrimonium cum vidua corrupta, vtrum efficiatur bigamus, quæritur, & reſpondetur, quod ſic, & per conſequens ad ſacros ordines promoueri non poterit: & non punitur ex culpa ſua; ſed quia ſubeſt iuſta cauſa. videlicet propter defectum ſacramenti.

REGVLA CCCII.

Socius criminis teſtificari non poteſt, cap.venientes de teſti, & atteſta. l.apertiſſimi.C.de iud.

Declaratio.

Procedit ad effectum plenæ probatio-

tionis: Secus autem eſt, quod ad ſemiplenam probationem, vel ad quandam præſumptionem faciendam. c. quoniam de teſtibus, & atteſta. Vel procedit, quando de crimine criminaliter agitur: Secus autem, eſt, ſi de crimine ciuiliter ageretur, vt notat Abbas per illum text: in dicto cap. quoniam. Vbi talia ſunt verba: Quoniam aliqua nobis de perſona Epiphanii presbyteri ſunt facinora nunciat, neceſſe eſt, vt cuncta diligentius perſcruteris, & ſeu mulieres, cum quibus peregiſſe dicitur, ſeu alios, quos de cauſa aliquid ſcire ſenſeris, huc feſtines adducere, quatenus eccleſiaſtica diſtrictione liquidè poſſint quæ vera ſunt aperiri.

REGVLA CCCIII.

Solemnitates iuris in iudicijs prætermittendæ non ſunt. c. cauſam quæ, de iud.

Declaratio.

Procedit in ſolemnitatibus neceſſariis, & eſſentialibus, vt in d. c. cauſam quæ, ubi iudex prouidere debet, ne Monachi litigent coram eo ſine auctoritate, & aſſenſu Prælati eſt de ſolemnitate iudicii, cum ſine ipſa iudicium fruſtratorium reddatur, d. c. cauſam Secus au-

autem eſt, ſi ſolemnitates neceſſariæ, & eſſentiales non ſint. Vel procedit, niſi æquitas, aut neceſſitas contrarium ſuadeat. Neceſſitate enim vrgente multà, licent, quæ alias non licerent. leg. vnica ff. de offic. conſul.

REGVLA CCCIV.

Solutum indebitè conditione indebiti repeti poteſt, ne quis ocupletetur cum aliena iactura. l. nam hoc natura. ff. de cond. indeb cum ſimil.

Declaratio.

Procedit, quando, aliquid ſolutum eſt per errorem. Errantis enim conſenſus nullus eſt. . non ideircò. ff. de iur. & facti ignoran. Vel procedit, quando quod ſolutum eſt, erat indebitum naturaliter, & ciuiliter; ſecus autem eſt, ſi naturaliter tantum, vel ciuiliter tantum, indebitum erat, quia reperi non poteſt, vt per Doctor in leg. 1. ff. de cond. indebit. Obligatio enim naturalis tantum, vel ciuilis tantum, quamuis non ſufficiat ad producendam actionem. l. iuriſgentium. ff. de pact. ſufficit tamen ad iam productam conſeruandam, vt per Mynſing. §. item ſi inſt. de except. num. 5.

REGVLA CCCV.

Sortitur qui forum ex quatuor cauſis:

ſis: ratione contractus, ratione domicilii, ratione delicti, & ratione rei ſitæ, cap. de foro compet.

Declaratio.

Procedit, in actione perſonali; ſecus tamen eſt in reali, quia ſolum attenditur vbi res ſita eſt c. ſanè. de foro comp.

REGVLA CCCVI.

Spoliatur de facto ante omnia eſt reſtituendus. l. ſi quis. C ad leg. Iul. de vi pub. c. ſolicitè de reſtit. ſpol c. reintegranda. 3. q. 1.

Declaratio.

Procedit, quando ſpoliatus iſta duo probat, ſcilicet ſe canonicè poſſediſſe, & eo tunc ſpoliatum fuiſſe, aliàs non reſtituitur. c. conſtitutus. de fil. presb & notat Dec in conſil. 25. num 1. & 2. Vel procedit regulariter; fallit autem quando notoriè conſtaret de non iure ſpoliata, vel de iure ſpoliantis, vt per Imol. in l. natural. § nihil. ff. de acqu. poſſ. vel procedit, niſi ſpoliatus peteret reſtitutionem coniugis, & probationes ſuper conſanguinitate incontinenti probandæ offerrentur iudici, quia tunc impediretur reſtitutio. c. in litteris, de reſt. ſpol. Item fallit quando ab vxore obii.

Digitized by Google

obiicitur ſæuitia viri. c. ex tranſmiſſæ. titulo eodem. Multas alias fallentias doni. Iacobus Nou in fin. libri in practic.criminal.

REGVLA CCCVII.

Subtilitas reprobatur cap. dilecti de iudi l. ſi fideiuſſor § quædam ff. man. Maximè enim ab æquitate diſceditur cũ ſuperſtitiosè adhęretur ſubtilitatibus iuris, vt per Mynſinger in §. quod ſi naturali inſtit. de reg diu num.7. & facit text. in c.1 de dolo, & contum.

Declaratio.

Procedit, in cauſis eccleſiaſticis, & propoſitione actione, vt in d.cap.1. vbi talis eſt caſus; Reus vocatus ad iudiciũ non venit & factus eſt contumax: iudex propter contumaciam pronunciauit actorem mittendum eſſe in poſſeſſionem rei petite, ſed etiam propter potentiam Rei, ſiue dolum, non poteſt nanciſci poſſeſſionem: tandem imminente fine anni, Reus ne poſſeſſionem poſt annum amittat, offert cautionem ſtandi iuri: quæritur qua pęna ſit puniendus, qui non paruit iuſſioni iudicis, & reſpondet Summus Pontifex, quod in eccleſiaſticis perſonis, & cauſis ri-

gor iuris non requiritur ; ſed cum iuſtitia propter, hoc, quod non paruit iudici, non periclitetur, admitti debet reus, cum per cautionem ſtandi in iudicio ſe adſtringit. Secus autem eſt in ordine iuris, qui non ſubtiliter fieri debet. c. in cauſis, de ſent. & re iud.

REGVLA CCCVIII.

Subrogatum ſapit naturam eius, in cuius locum ſubrogatur. l. ſi eum. §. iniuriarum ff. ſi quis caut.

Declaratio.

Procedit, regulariter; & quando militat eadem ractio: ſecus autem eſt, vbi ratio eſt diuerſa; & in caſibus expreſſis a iure, vt in d. §. iniuriarum, ibi; Iniuriarum actio hæredi non competit; quamuis enim hæc ſtipulatio iudicio ſiſtendi cauſa ſacta ad hæredem tranſeat, tamen in hac cauſa danda non eſt.

REGVLA CCCIX.

Tacitum aliquando habetur pro expreſſo. Vel tacens conſentire videtur. l. cum quid. ff. ſi cert. pet. cap. nonne, de præſumpt.

Declaratio.

Procedit, quando agitur, de re meritoria,

ſoria, & concupiſcibili, vt in d.c. nonne, vbi dicitur: Nonne benedicimus nos, quià Samaritanus es tu, & dæmonium habes. Reſpondit Ieſus: Ego dæmonium non habeo. Duo quippe illata fuerunt: vnum alterum tacendo conceſſit: Samaritanus enim interpretatur cuſtos, & Deus eſt cuſtos, verus paſtor animarum noſtrarum: Secus autem eſt, ſi ageretur de re vituperabili, & oneroſa, vt eſt ſeruitus, procuratoris officium, & huiuſmodi, quia tali caſu; Tacens habetur pro contradicente, ſecundum Innocentium in cap. In Gen. de elect. Vel procedit niſi conſenſus expreſſus neceſſarius, ſit, vt ſupra adhuc dictum fuit in regula, qui tacet conſentire videtur.

REGVLA CCCX.

Tempus non curatur, dummodo effectum habeamur. l. nomen filiarum. §. habere ff. de verborum oblig.

Declaratio.

Procedit, niſi tempus ſit limitatum a lege, quia tali caſu attendi debet, vt in cap. cum quidam. de temp. ordin. vbi priuatur quidam Epiſcopus auctoritate ordines conferendi, quia die,

quo non debuit ordines celebrauit. Non enim maiores ordines conferri poſſunt ab Epiſcopis; niſi in ſabbatis quatuor temporum, & in Sabbato Sancto, & in Sabbato ante Dominicam de Paſſione. cap. de eo. de temp. ord

REGVLA CCCXI.

Teſtator, poteſt aliquem extraneum, & penitus ignotum hæredem inſtituere. l. extraneum. C. de hæred. inſtit.

Declaratio.

Procedit, ſicut dicitur, in extraneo, ac penitus ignoto; Secus tamen eſt in incerto? Quia incertitudo vitiat teſtamentum § incertæ inſtit de l. Vel procedit dummodo non priuet filios, ſua debita legitima, quæ eſt tertia pars hæreditatis, ſi ſunt quatuor, vel pauciores ſi verò quinque, vel plures, medietas totius hæreditatis: Teſtamentum enim patris, in quo filius eſt præteritus, non valet. §. I. inſtit. exhæreda. libero. Et ſi inſtituantur in minori parte, quam ſupra diximus, nihilominus ad ſupplementum agent, l. omninò. C. de inoffic. teſtament. Verum ſi pater habeat iuſtam cauſam, quam debet ſcribere in teſtamento, poteſt filium exhæredare:

vt

Digitized by Google

vt puta ſi filius patrem verberauerit, vel eius vitæ inſidiauerit, vel cum nouerca rem habere tentauerit, vel ſi aliam grauem ei iniuriam fecerit, vt in §. cauſas, authent. vt cum de appellatione cognoſcitur.

REGVLA CCCXII.

Teſtimonium mulieris eſt mutabile, & ideò non teſtificatur. cap. forus, de verb. ſign.

Declaratio.

Procedit, quando de crimine criminaliter agitur: tunc enim non admittitur de iure canonico, niſi in criminalibus exceptis, ſcilicet in ſimon. c. tanta: de ſimon ſecus autem eſt, quando de crimine ciuiliter agitur; quia mulier admittitur, non quidem ad effectum plenæ probationis, ſed in ſubſidium, & vt iudex ex ea eligat aliqualem præſumptionem. c. quoniam aliqua. de teſti. vel procedit de iur. c. canon. vt in d. c. forus, ſed de iure ciuili mulier admittitur in ciuilib. & crimen. cauſis præterquam in teſtam §. teſtes. inſtit. de teſtam. l. qui teſtam §. mulier. ff eod. & notat. Ang in ſumma, verb. teſt n. 5.

REGVLA CCCXIII.

Teſtis conſanguineus eſſe non pot. teſtes.ff.de teſt.c.item teſtis 4.q.3.

Declaratio.

Procedit regulariter: fallit autem; ſi ageretur de correctione, vel prohibitione peccati, vel de illuminatione fidei: quia in iſtis vbi affectio carnalis communiter nihil operatur, valet teſtimonium, ſicut Chriſtus etiam teſtimonium perhibuit de patre, vt notat Panormi. in c. in omni. de teſtim. Item fallit quando factum eſt tale, quod per alios p obari non poteſt. Vnde pater poteſt eſſe teſtis ſuper ætate filii, cap. transmiſſæ. qui filii ſint legit.

REGVLA CCCXIV.

Teſtis criminoſus eſſe non poteſt. c. ſuper eo. de teſt. l. fin. C. de prob.

Declaratio.

Procedit, quando crimen graue eſt, & notorium: ſecus autem ſi leue, & occultum ſit: quia alias nullus poſſet eſſe legitimus teſtis: Cum nemo hodie ſine crimine viuat, & ſepties in die cadat etiam iuſtus. c. ſepties. de pœnit. diſt. 3. Vel procedit quando quis perſeuerat in-

in ipſo crimine: Eſt enim ſpecies, ſed præſumptio cuiuſdam hæreſis, in peccato perſeuerare. c. ſciendum. 8. q. 1. At vbi non probatur perſeuerantia, non aggrauatur tantum peccatum: Quinimo non omnittit nomen iuſti, qui ſtatim poſt peccatum ſurrexit, d. c. ſepties, & notat Abb. in c. teſtimonium. de teſt:

REGVLA CCCXV.

Teſtis familiaris eſſe non poteſt. leg. pen. ff. de teſt. §. in teſt. inſtit. de teſt. Teſtis enim ſuſpectus eſſe non debet. leg. apertiſſimi. C de iu.

Declaratio.

Procedit, in familiari exiſtent in familia vel poteſtate alicuius, vt in d. §. in teſt. Secus autem eſt in familiari, ideſt amico: quia talis poteſt eſſe teſtis, vt notat gl. in l. ſciendum. ff. de reg. iur. Vel procedit, niſi familiaris, ideſt de familia eſſet laudabilis, & approbatæ vitæ; quia talis ſimiliter poteſt eſſe teſtis, vt notat Port. in d. §. in teſti. Et propterea dicit Bald. quem refert, & ſequitur Port. in d. §. in teſtib. quod licet da piferi, & huiuſmodi viles perſonæ non poſſint eſſe teſtes pro dominis ſuis; Cancellarius tamen Poteſtatis, itẽ ſcriptor, & ſcolaris, poſſunt teſtificari, cum ſint

Digitized by Google

vel præſumantur perſonæ honeſtæ, & laudabilis vitæ.

REGVLA CCCXVI.

Teſtis in cauſa propria nemo poteſt eſſe. l. nullus ff. de teſt. cum ſimil.

Declaratio.

Procedit, quando cauſa eſt principaliter propria: ſecus autem, ſi ſit ſecundario, vt in c. inſ. per. de teſt. & atteſt ibi; Inſuper ſtatuimus, vt liceat vobis in cauſis veſtræ eccleſiæ ferre teſtimonium, dummodo vnus ex vobis, vel duo, ad agendum, vel reſpondendum, inſtituantur, quorum teſtimonium, in cauſis, in quibus actores, vel reſponſales inſtituti ſunt, non debet admitti. Vel procedit regulariter: quãdoque tamen quis teſtificatur in cauſa propria, attentis circumſtantiis perſonarum, & cauſæ, vt in c. fin. de iure iur. Et propterea Bart in l. admonendi ff de iureiur. dicit, quod quando actor ſcit plenè veritatem, vt puta de mutuo a ſe facto, & eſt perſona honeſta, ſi habet pro ſe vnum teſtem bonum, defertur ei iuramentum, & faciet probationem perfectam.

RE-

REGVLA CCCXVII.

Teſtis in teſtamento mulier eſſe non poteſt, l qui teſtam. §. mulier, & ibi Doct ff. de teſt. § teſtes, inſtit eo & habet locum etiam de iur. canon. vt per gl. in c. forus, de verb. ſignif. circa fin.

Declaratio.

Procedit in teſtamento; fallit aut in codicillis, in quibus mulier poteſt eſſe teſtis, vt notat gloſſ. ab omnibus recepta in l fin C de Codic. Item fallit in teſtamento condito ad pias cauſas, vt per Abb. in c. cum eſſes. de teſtam. Item fallit in teſtam. inter liberos condito in quo mulier poteſt eſſe teſtis, ſecundum communem opin. quam refert, & ſequitur Viu. in ſuis commun opin. opin. 382. Item fallit in teſtam. militis, ſed iſtud poteſt eſſe verum de iure antiquo; nam hodie milites priuilegiis militaribus non gaudent, vt dicitur ſupra, reg 250.

REGVLA CCCXVIII.

Vbi electa eſt induſtria perſonæ, non admittitur ſubſtitutus. cap. vlt. de offic. deleg. gl. in l. artifices. de ſolut.

Declaratio.

Procedit, quando ex qualitate facti, vel

vel ex verbis committentis apparet ele: ctā eſſe induſtriam perſonę. Ex qualitate facti, vt ſi Doctor ſit conductus ad legendum, non poterit legere per ſubſtitutum (niſi conſuetudo in contrarium eſſet vel niſi eſſet infirmus, aut neceſſario abſes) quia electa videtur induſtria perſonæ. Ex verbis, vt ſi dicatur: perſonaliter exequaris; Vel confidentes de induſtria, ſeu circumſpect. tua, vel huiuſmodi. Nam per hoc ſatis patet committentem elegiſſe induſtriam perſonę, & tunc commiſſarius, vel quilibet alius, non poterit vices ſuas committere aliis, quamuis etiam commiſſarius, vel delegatus ſit principis. Secus autem eſt, quando ex qualitate facta, vel ex verbis, iſtud non apparet; quia admittur ſubſtitutus, vt notat Abb. in d.c.vlt.

REGVLA CCCXIX.

Vbi eſt eadem ratio, ibi idem ius eſſe debet. l. illud. ff. ad l. Aquiliā, cū ſim.

Declaratio.

Procedit, vbi eadem ratio, vel alia maior, ſiue æqualis, vt in d.l.illud, vbi talia ſunt verba; ſicut in furto facto a familia, omnes reputantur pro vno; & vnum furtum cenſentur, vnicaque æſtimatio præſtatur; ſic & in damno dato

ab

Digitized by Google

ab eadem, quia ſubeſt eadem ratio. Secus autem vbi non eſt tanta, vel vbi ratio eſt diuerſa, ibi diuerſum ius eſſe debet. l interpoſita. C. de tranſactio.

REGVLA CCCXX.

Vbi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. l. de pretio ff. de publ. in rem actio.

Declaratio.

Procedit, niſi ratio nos induceret ad diſtinguendum. arg c. Marcion. 1. q. 1. & l. labeo. ff. de ſuppl. leg. Et propterea Angel. in ſumma verb. Ludus, n. 5. dicit, quod quamuis in c. Epiſcopus 35. diſt. prohibeatur clericis alearum ludus; nec diſtinguat text. inter ludentes magnam ſummam pecuniæ, cum ſcandalo, & continuò, & inter ludentes aliquo modico ſine ſcandalo, & cauſa recreationis: tamen nos diſtinguere poſſumus, quod in huiuſmodi ludis recreationis cauſa, clericus non peccat mortaliter. Cum ratio maximè prohibitionis ceſſet arg. l. fin ff. ad Sylla.

REGVLA CCCXXI

Vbi nulla petitio, ibi nulla mora dicitur, fieri. leg mora. ff. de uſu. l. nul. vſu, l. nulla ff de reg. iur.

De.

Declaratio.

Procedit, niſi dies interpellet. pro homine, c. vltimo, de locat. l. magna. C. de contrahend. ſtipul. Si verò dies non eſt appoſita obligationis, ſed nec alia conditio, ſic requiritur monitio, ſeu petitio, vt in d. l. mora, & tradit Bald. in l. non ignorat. C. de fructibus, & lit. expenſ. Vel procedit, niſi aliquis iurauerit ſe ſoluturum: Iuramenti enim religio debet ſtimulare ſine interpellatione animum debitoris ad ſoluendum. Et ideò cum iurauerit, etiamſi interpellatus non ſit conſtituitur in mora, vt per Decium, in l quod te. ff. ſi certum petatur. n. 43. Vel procedit in debitore ex contractu, vel quaſi: ſecus autem eſt in debitore ex maleficio, vel furto; Fur enim ſemper eſt in mora, & quandocunque res furto abl..ta pereat, ſuo ſemper periculo perit, & tenetur ad æſtimationem l. ſubtract. C de fur.

In foro autem conſcientiæ, ſi aliquis, verbi gratia, furatus ſit æquum, & iſte æquus moriatur morte naturali penes furem, & moriturus erat etiam in manibus Domini, nec eum Dominus diſtracturus erat ante mortem naturalem eius, non tenetur fur ad aliquid reſtituendum, vbi enim nullum eſt damnum, nulla debet reſtitutio eſſe, cum reſti-

ſtitutio ſit actus iuſtitiæ ſpecialis commutatiuę, qua redditur alicui, quod ſuũ eſt, vel quod ei debetur de bonis animi corporis, honoris, vel pecuniæ, vt per Nauarr. in Manual. cap. 17. n. 6. & facit, quod dictum eſt ſupra, regula abſens Reipublicæ cauſa, quicquid in commarium Caiet. dicat.

REGVLA CCCXXII.

Verbum, debet, importat neceſſitatem, c. debent, 11. q. 2. l. ſæpè. ff. de offic. proc.

Declaratio.

Procedit, quando ſubiecta materia eſt neceſſitatiua, & lex loquitur de pręcepto, vt in dicto c. debent, vbi dicitur: quando Epiſcopus facit ſolemnem excommunicationem duodecim ſacerdotes circumſtare illum debent, tenentes candelas ardentes in manibus ſuis, & in fine anathematis eas debent proiicere, & pedibus conculcare: Secus autem eſt, quando materia non eſt neceſſitatiua, & lex loquitur de conſilio, vt in c. 1. de ſponſ. impub. ibi: Filium nondum adultum poteſt pater in matrimonium tradere, qui poſtquam venerit ad legitimam ætatem, factum patris ratum habere debet: Vbi cum materia

non

non ſit neceſſitatiua, & lex tantum de conſilio loquatur, verbum debet, non importat neceſſitatem, & vt dicit ibi gl. filius factum patris debito honeſtatis, non autem neceſſitatis; ratum habere debet.

REGVLA CCCXIII.

Verbum, videtur, eſt verbum fictionis. l. 1. deieciſſe autem videtur. ff. de vi, & vi armata.

Declaratio.

Procedit regulariter: quandoq; tamen ſignificatiuum eſt veritatis, ac præſertim, quando a Principe approbatum eſt, vt c præterea. de tranſ. vbi talis eſt caſus: Vacat aliqua Eccleſia, contentio eſt inter laicos, & aliquos religioſos ſuper præſentatione rectoris, venerunt ad talem tranſactionem, vt laici habeant præſentationem, religioſi participant ab Eccleſia maiorem penſionem, quam recipere conſueuerunt: vel nouam, cum nihil antea percipiebant: quæritur an talis tranſactio teneat, & reſpondet ſummus Pontifex, quod talis tranſactio ſimoniaca videtur, & ideò de iure non tenet, cum non liceat tranſigere de re ſpirituali, interuentu pecuniæ. Vnde licet regulariter, verbum, vi-

de-

detur, ſit verbum fictionis; in d tamen c. præterea, & in aliis textib. huiuſmodi, verbum videtur non eſt verbum fictionis, quia non ficte, & impropriè ſimonia eſt tranſigere de re ſpirituali, interuentu pecuniæ, imò reuera. & promiæ, ſimonia eſt, vt notatur in d. præterea, & in l. naturaliter. in princ. ff. de acquir poſſ.

REGVLA CCCXXIV.

Verba ſunt intelligenda cum effectu, l. nomen filiarum §. habere. ff. de verb ſignif. c. in cunctis & in c. perpetuò, de elect. in 6.

Declaratio.

Procedit regulariter, vt in d. c. cum in cunctis, & d c. perpetuò, vbi dicitur quando pęnam apponitur a iure ipſo facto propter aliquod delictum: nunquam eſt locum illi pęnæ niſi delictum ſit conſumatum, quantumcunque inhoatum ſit: ſicut (exempli gratia,) qui ſagittam, vel gladium immittit in clericum, non incidit in excommunicationem, niſi ſagitta, vel gladius clericum attingat, quamuis ob paruum affectum animo aliter peccauerit, vt colligitur ex c. ſi quis ſuadente. 17. q 4. Secus autem in illis caſibus, in quibus tantum pu-

nitur

nitur affectus, ſicut effectus, vt ſupra fuit dictum in regula, Affectus tantum punitur, &c.

REGVLA CCCXXV.

Vicini præſumuntur facta vicinorum ſcire. c. quoſdam, &c. quanto de præſumpt.

Declaratio.

Procedit, quando factum publicum eſt: tunc enim vicini, magis quam alii, præſumuntur facta vicin ſcire, vt in d. c. quoſdam, de præſump. ibi: Aphricæ verò qualiter mortalitate, & languor. vaſtetur, quanto viciniores eſtis, credo, quod ſubtilius cognouiſtis, & in d. cap. quanto dicitur: Lętare te in vicino non potuit, quod ad nos in longinquo peruenit: ſecus autem eſt, quando factum eſt occultum, quia vicini excuſantur ignorantiam illius facti allegantes, vt per Doct. in d. c. quanto.

REGVLA CCCXXVI.

Vim vi repellere omnes leges, & omnia iura permittunt. l. vt vim. de iuſt. & iu. c. ſig. de homicid.

Declaratio.

Procedit, quando vis, vi repellitur ob ne-

neceſſariam defenſionem ſui corporis, & cum moderamine inculpatę tutelę, vt per Doct. in d. l. vt vim, & in d. cap ſignificaſti. Ad hoc autem, vt quis dicatur vim vi repuliſſe, cum moderamine inculpatæ tutelæ, tria neceſſariò conſideranda ſunt: primum qualitas, qua quis ſe defendit; quia ſi verberes me cum pugno, non debeo me defendere cum enſe, vel gladio. Secundò qualitas temporis; quia ſi verberaſti me hodie cultello, nō debeo cras te aggredi cum alio cultello, vel enſe, quia hoc fieret ad vindictam, non defenſam. Tertium quod vis inferatur ob neceſſariam tutelam ſui corporis: Quia ſi me aggrediaris, & abſque dedecore poſſum arripere fugam, non debeo te occidere, ſed aliter euadere. l. ſcientiam. § qui cum aliter. ff. ad leg. Aquil. Doctores omnes in dicta l. vt vim.

REGVLA CCCXXVII.

Violentia, & importunę preces ęquiparantur. c. 1. & 2. de adult. Quinimmo Doloſa perſuaſio plus eſt, quàm violenta coactio, vt per gloſſam in cap. ſcienti. de regul. iur. in 6.

Declaratio.

1 Procedit in materia, quæ non ſit

dis

odioſa, & in caſibus a iure expreſſis, vt in d.c.1. vbi tantum tenetur ducere, & dotare. qui ſeduxit virginem, & dormiuit cum illa per importunas preces, quantum ſi eam per vim rapuiſſet. Secus autem, eſt quando tractatur de pęna corporali vel de excommunicatione, quæ eſt maxima pęnarum c. corripiantur.23.q. 3. tali namque caſu verba ſunt propriè intelligenda, & iſta duo non æquiparantur. Et propterea qui non rapuiſſet mulierem, per vim abſolutam, non eſſet excommunicatus ex communicatione illa, de qua in Conc. Trid.ſeſſ.24.c.6 de refor. Raptus enim propriè dicitur quando mulier rapitur per vim, vt per Graffium in ſuis conſ: pagina mihi 571:& 574.

REGVLA CCCXXVIII.

Vox vnius, vox nullius.c. veniens. in fine, de teſt.c.cum a nobis. eod. tit. cap. quoniam, de probat.

Declaratio.

Procedit in teſte, quia non in vnius tantum, ſed in ore duorum, vel trium ſtat omne verbum, vt in Euang. Vel procedit regulariter: ſunt tamen multi caſus, in quibus vox vnius tantum valet, vt in Papa.d.c.cum a nobis, Item

de

Digitized by Google

de conſuetudine curiæ ſtatur dicto Cardinalis, de ijs, quæ dicta, vel acta ſunt coram eo. Item in ijs, in quibus nullum paratur præiudicium, & vbi agitur de impediendo peccato; & ideò vnus impedit matrimonium contrahendum, vnus probat, vtrum aliquis ſi baptizatus, & vnus teſtificatur vtrum Eccleſia fuerit conſecrata, vt per gloſ. in c. nuper nobis. verbo, Iuratus, in fine de teſt. Itē vox vnius valet de conſenſu partium, & quando teſtator mandauit ſtari ſuper aliquibus dicto alicuius, quem dixit informatum eſſe de ſua intentione, ita per Angelum, in verb. Teſtis, nu. 24.

REGVLA CCCXXIX.

Vtilitas publica eſt præferenda priuatæ, cap. bonæ, de poſtu. prelat. l. vni. §. penult. C. de caduc. toll. c. ſc. ens. 7. q. 1.

Declaratio.

Procedit, quando in communi vtilitate priuata etiam includitur, ſicut fit in prælatura, & huiuſmodi: alias quilibet debet propriam vtilitatem præferre communi, arg. c. duę ſunt. 19. q. 1. & notat gl. in d. c. bonæ.

REGVLA CCCXXX.

Vtile per inutile vitiari non debet, l.

qui

qui teſtament ff. de excuſ. tut. c. turbat. 37. diſt.

Declaratio.

Procedit regulariter, vt in d. c. turbat. vbi cum quidam prohiberet Chriſtianos ne legerent libros Gentilium: Beda reprehendit eos, dicens, quod benè poſſunt legi ſine peccato, vt vtilia inde ſumantur, ad inſtar Moyſi, & Danielis ac etiam D. Pauli, qui in Epiſtola pri ma ad Titum interſeruit illud Epime nidis poetæ.

Cretenſes ſemper mendaces, mal
beſtiæ ventres pigri.

Et in Epiſt. 1. ad Corinth. interſeruit il lud Meandri.

Semper bonos mores corrumpun
colloquia praua.

Fallit autem, quando in iure inueni tur expreſſum, quod vtile per inutil vitietur, vt in cap. puta 3. q. 9. cum ſui concordantibus. ibi: Si teſtis admiſcea vero aliquid falſitatis, eius teſtimo nium non valet; ſed tota teſtimonij fi des partis mendacio deſtruitur.

FINIS.

Digitized by Google

Amore d'amor nasce
Come foco da foco
E sol d'amore Amor si nutre e pale

E con atto mentito, e finta voce
Quanto lusinga più tanto più nuoce

Digitized by Google

Vito Arpajo

Digitized by Google